
FRANCISCI STORELLAE ALEXANENSIS PHILOSOPHI TRACTATVLVS QVINQVAGINTA CONTRADICTIONVM,



QVAE IN GRAVISSIMIS VIRIS ANImaduersæ, Patauini Gymnasij, Cæterarumq; Academiarum professoribus, dissoluendæ proponuntur.



EIVSDEM LIBELLVS DE VTILITATE LOGICES,

Quinque primis Ordinarijs Lectionibus In Neapolitano Gymnasio explicatus. Anno 1558.

AD ILLVSTRISSIMVM ANNIBALEM DE CAPVA.



NEAPOLI

Excudebat Raymundus Amatus. Anno. 1561.

FRANCISCVS STORELLA

Patauini Gymnasij, Cæterarumq; Academiarum professoribus fœlicitatem.



CVM In Aliquot Grauium uirorum contradictiones incidissem, easq; de more, pro uiribus dissoluere tentassem: In eis dissoluendis, multa quidem, quæ disputationis forum subministrabat, adinueni: pauca tamen (ut ueritatem ingenuè fatear, sicuti philosophum decet) quæ in conscientiæ foro satisfacerent. Quadere onus longè meis uiribus impar agnoscens, eas uobis, omnium bonarum artium uberrimi fontes, dissoluendas proponere sum ausus: uestræ siquidem humanitati confisus, spero quod ab harum contradictionum nexibus, Storellam uestri nominis obseruantissimum, liberare (quod uobis facillimum erit) haud dedignabimini. Valete Alexanij nonis Ianuarij. 1561.

Apollonius Ferrarius ad eosdem.

Has si non soluit; dignus modò laudibus Authot,
Docta quòd his uestrum concitat ingenia,
Vos, quibus implicitos facile est dissoluere nodos;
Quæ fuit Authori clausa, aperite uiam.

CONTRADICTIONES DISSOLVENDAE.

PRIMA.

AGNVS Naturæ stupor Albertus, dum in Logicis rationalis facultatis subiectum inquirit, ei argumentationem veluti subiectum subijci, pluribus probare nixus est. At in Metaphysicis (suimet, ut uidetur, oblitus) non amplius argumentationem, sed intentiones secundas circa res (ut eius verbis utar) per sermonem positas, Logicam considerare scriptum reliquit. Accedit ad hæc, quod in libro de Demonstratione, totam logicam non de argumentatione, non de intentionibus secundis, ut dixerat, sed de syllogismo esse affirmat. Siqui uerò dicent, uulgatam distinctionē de multiplici subiecto tanti roboris esse, ut nedum hæc Alberti pugnantia loca cōciliet, sed etiam Thomam, Scotum, & Albertum, de Logices subiecto dissidentes, concordi pace ligare possit: Hi quæso animaduertant, distinctionem hanc, nedum à Conciliatore, sed etiam ab ipso Alberto fuisse irrisam.

Trá. pri. c. 4. Na. pri. cap. pri. In princ. Differ. 6. Cap. 2. eiusdem tract.

SECVNDA.

CVR Porphyrius, non prædicabilium libellum, sed quinq; uocum cognitionem necessariā appellauerit, Ammonius caussam reddere conatur. Suimet tamen (ut apparet) oblitus, Librum à Porphyrio necessarium dictum, nedum superius, sed etiam aliquantulùm inferius pluries affirmat.

In expo. huius loci. Ibidem.

TERTIA.

ORATIONEM In prædicamento quantitatis iuxtà Aristotelicum dogma, nedum ĩ categorijs, sed etiam in libello de interpretatione collocat Ammonius. Quod si uerum est, quomodo quæ in prædicamentis reponuntur, nec uoce, nec significato, complexa esse, literis mandauit?

Cap de quantitate. Com. pri. In ult cap. ante præ di.

QVARTA.

APHRODISIENSEM Alexandrum, nomina & uerba, non positione, sed natura constituta esse, arbitratum, Magentinus, & Ammonius, magnæ fidei uiri, nedum affirmant, sed etiam rationem, qua ad hoc arbitrandum mouebatur Alexander, adducunt. At si hi non mentiuntur, ut tantos uiros non mentiri credere par est, quomodo (Seuerino Boëtio teste) sequentia uerba literis mandauit? Partes enim manifestum est orationis, ad placitum positas, quæ sunt scilicet nomina & uerba, sicut monstrat apud omnes gentes diuersitas uocabulorum. Siquis autẽ dicet, in Græcorum sententia referenda, non Romanis, sed Græcis Authoribus fidem adhibẽdam, Hic ad Alexandri quæstiones accedat, inuenietq; ipsum, nomina, non natura, sed positione constare, ex intento probantem.

In lib. peri ber. sect p.

Lib. peri. cap. de oratione.

Lib. 3 q. 11.

QVINTA.

NON Solum duas propositiones, sed etiam conclusionem, esse de essentia syllogismi, Auerroes in libris de Anima clarè confessus est, dum syllogismum ex propositionibus & conclusione fieri dixit: propositiones siquidem materiæ, conclusionem uerò formæ assimilari in physicis affirmat: quod

Lib. pri. com 48.

forsan mente reuoluens, in Posterioribus demonstrationem conclusionem esse scripsit: à forma siquidem nomen sumendum, Aristotelem scripsisse, tunc meditabatur. Huius autem oppositum nedum in prioribus asserere uidetur, dum maiorem, & minorem absq; conclusione, syllogisticum ordinem uocat, sed etiã in Metaphysicis, cùm syllogismum, & conclusionem se consequentia dicit, Nam si syllogismus ex necessarijs; & conclusio necessaria, & si ex possibilibus, possibilis. Clarioribus autem hanc eandem sententiam in Physicis fassus esse uidetur, cùm ait, Induxit conclusionem, & post induxit syllogismum, scilicet utranq; propositionem minorem & maiorem. Quod etiam ĩ logices Epitoma clarissimè cernere licet. Hac eadem perplexione inuolutus Alexãder esse uidetur: In Topicis siquidem syllogismum esse propositiones cum conclusione affirmat: Et tamen aliquantulum superius combinationem, ex maiori, & minori absq; conclusione, constitutam, syllogismum, ne dum primæ, sed aliarum etiam figurarum esse dicebat.

Lib. 1. com. 11. In media com. super 15. 8. Met. p. 7 Lib. pri. c. 5. Libr. 9. 3. Lib. 8. 30. Cap. de luig. contradictione. Lib pri. com. 4 In præfatione.

SEXTA.

ABSOLVTAM Propositionem eã esse, quæ continet necessariam, & eam quæ est naturæ possibilis, Theophrastum arbitratum, & in Prioribus, & in quæsito ex intento Auerroes inquit: quam etiã opinionem cùm Themistio ascribat, cui dubium per Auerroem eiusdem opinionis circa hoc Themistium fuisse, cuius etiam fuit & Theophrastus? quod quidem clarioribus uerbis in libro de syllogismo testatus est: clarissimis autem in Epitoma logica, dum de cognitione agente uerificationem pertractat. Et tamen huius oppositum idem

Lib. pri. cap. 15. Folio. 345.

Queſt.3. Auerroes aſſerere uidetur, dum ſcribit, ꝙ de propoſitione de ineſſe duæ ſunt opiniones, quarum una eſt opinio Themiſtij & Eudemij, & altera Theophraſti.

SEPTIMA.

Li.1.com. 9. Q. 12. NEDVM In libro de demonſtratione, ſed in Quæſitis etiam ſcribit Auerroes, Ariſtotelē expoſuiſſe, ꝙ ad
" hoc ꝙ præmiſſæ demōſtrationis ſint neceſſariæ, oportet, ꝙ ha-
" beant treis cōditiones, quarum una eſt, ꝙ prædicatum inſit toti
" ſubiecto .i. ꝙ ſit de omni: Secunda eſt, ꝙ prædicatio ſit per ſe:
" & Tertia, ꝙ prædicatio ſit prima. Et nihilominus non amplius has treis neceſſitatem adimplere: ſed neceſſitatem ipſam cum duabus ultimis conditionibus, harum primam .i. conditionem de
Q. 10. omni, conficere, ad Ariſtotelis mentem affirmat. Ait enim, Ari-
" ſtoteles inſtituit præmiſſas demōſtrationum, inter cæteras con-
" ditiones ponit has adiectas conditiones, ꝙ ſint neceſſariæ, &
" per ſe, et primæ, & hoc i. inſtitui his tribus, ipſe nominat præ-
" dicationem de omni. Parum autem ab hoc recedere uidetur, dum
Q. 11. ait, dictum de omni ab Ariſtotele uocari, cùm prædicatum toti, et
Pri. poſt. 41. ſemper, per ſe, & primò, ſubiecto ineſt. Alias autem dictum de omni, non primam è tribus conditionibus, non ex omnibus illis confectam, ſed trium ultimam, idem primum eſſe uelle uidetur.

OCTAVA.

ALPHARABIVM Opinatum omnium demō-ſtrationum propoſitiones ex prædicato in primo uel ſe-
Pri. poſte. 35. & q. 10. cundo modorū per ſe neceſſariò conſtituendas, obiurgat Auer. contendens hoc non demonſtrationi, ut demōſtratio eſt, neceſſarium eſſe, ſed demonſtrationi tantùm ſimpliciter, quæ potentia

est definitio. At si hoc uerũ, non ne fulmet immemor esse uidetur, cùm tertiam speciem demõstrationis largientis esse, à Themistio positã, ideò impugnat, quia huius propositiones ex prædicatis primi uel secundi modorum per se, non fabricantur? Pri. post. 99.

NONA.

CVM Rerum definitiones quãdoq; à materia, nonnũq; à forma, interdum à composito conficiantur: Harum, eã quæ à forma desumitur, propriè definitionem esse, in Categorys Ammonius affirmare uidetur. At in prædicabilibus, eam, quæ ex sola forma, solaúe materia suscipitur, imperfectam esse dicit, solùm à composito desumptam laudibus extollens. Cap. de æquiuocis. Cap de genere.

DECIMA.

ET Si constans sit apud Græcos expositores, Physicorum uolumen in duas partes secari, quarum altera de principys, altera uerò inscribitur de motu: Digladiantur tamen, unde secunda, quæ est de motu, incipere debet. Simplicius, dum in Primum, Quintum, et Sextum exorditur, Adrasto atq; Andronico adstipulando, quinq; priores de principÿs, treis uerò ultimos tantùm de motu, censet appellãdos. At in Tertio et Quarto, ad Porphyrÿ, Ammonÿ, atq; Philoponi opinionem accedens, nõ treis tantũ, sed quatuor posteriores arbitratur esse de motu. Com. pri.

VNDECIMA.

THALETEM, Rerum omnium principium, aquã posuisse, est qui ambigat nemo: nedũ etenim Plutarchus, Laertius, Iustinus martyr, et Simplicius, sed etiam Aristoteles, atq; Philoponus hoc expressè confitentur. Quo existente, mirum profectò esse uidetur, quomodo in primo Phys. Philopo- Pri. phys. 6. & in præfat. de Anima.

32.41.48 nus non semel eorum quæ dixerat oblitus, scriptū reliquerit, & quidam rarum & densum, quorum est Thales, quippequi statuens aerem ueluti materiam, raritate, & densitate eius, reliqua formari, fieriq; dixit.

DVODECIMA.

Com. pri. IN Tertio Physicorum Simplicius inquit, ꝙ non est motus propter tempus, sed tempus propter motum: At in libris de

In princ. 2. cœlo, huius oppositum (& meritò) astruere uisus est, cùm di-
„ xit, si tempus est mensura motus, non quod mensuratur erit
„ utiq; mensurántis causa, sed ècontrario.

DECIMA TERTIA.

Di. x. Q. 1. ar. 1. ANgelicus Doctor in secundo sententiarum de materia cœlestis corporis loquēs, Auerrois opinionem approbat, ꝙ scilicet sit completum subiectum, actu, & nō materia ad cœli formam, sed solùm ad ubi. Sui autem met, ut uidetur, oblitus

Lectio. 6. (si de tanto uiro hæc dicere licet) & in primo de cœlo, & in

Q. 66, ar. 1. prima parte Summæ, prædictam Auerrois opinionem impugnat, contendens, in cœlo puram esse materiam ad formam cœli, licet ab horum inferiorum materia longè diuersam. At in aureo opusculo, quod de rerum essentijs inscribitur, cæleste corpus ex elementis constitutum, pluribus declarare conatur: Vnde
„ concludit: Non ergo mireris, si corpora cælestia sint incorrup-
„ tibilia, quantumcunq; sint ex elementis effecta.

DECIMAQVARTA.

In princ. AVicenna in his quæ de anima scripsit, Naturalium librorum ordinem inquirens, librum de Anima sextum locum obtinere arbitratur, septimum uerò tribuit libro de Plātis,

octauum

octauum autem libris de animalibus adscribit. In libello autem de scientiarum diuisione, non amplius hunc ordinem, sed eum quem Auerroes atq; Algazel assignant, sequi uidetur; Nam librum de plantis Sextum, de animalibus Septimum, de anima uerò Octauum esse dicit.

In princ. Metheor.

In pri. dist. naturali

DECIMAQVINTA.

SCIRE Nostrum non esse de nouo, sed quoddam reminisci, Philoponus in præfatione de anima quàmpluribus declarare conatur, quod etiam in expositionis processu cõfirmat. Huius autem oppositum nedum in primo Physicorum subindicat, sed in tertio de anima libro, aperto marte defendit.

Sup. 16. t. lib.

Sup. 48.

DECIMASEXTA.

ILLVD Esse propriè immortale, idem in tertio de anima contendit, quod morti non subijcitur, unde animam omnem & uegetatiuam, & sensitiuam, & si æternæ non sint, quia tamen mortem suscipere non possunt, immortales censet appellandas. Huius autem oppositum (ut Speusippum, atq; Alcinoum prætermittam) ipsemet asseruisse uidetur, cùm in primo eiusdem operis libro dixit, illud esse propriè immortale, quod undequaquè, idest, & quò ad substantiam, & quò ad operationem est immutabile. Omitto autem, quòd in operis progressu non omnem animam immortalem esse, apud Aristotelem probare contendit, dicens, quapropter aliquas animæ partes à corpore non separari, & ideò mortales esse cognouit: Quibus etiam in uerbis in anima inseparabilitatem à corpore cum immortali stare non posse (arguit enim mortalitatem) dicere uidetur.

Com. primo,

In. 7. suo cõ. ante finẽ pri.

DECIMASEPTIMA.

Princ. de animali 8. DVM Ea Aristotelis uerba, Animal autem uniuersa-
le aut nihil est, aut posterius, Philoponus interpreta-
» tur, inquit, putauerunt aliqui de ideis ipsum obscurè loquentem,
» hoc dicere contra Platonem: At hoc non ita se habet, etenim quo
» q; ipsi uidentur esse genera & species, quae ante multa sunt.
» Quibus in uerbis, duo asserere uidetur, unum, quod Aristoteles ge-
nera & species, quae ante multa sunt, concesserit: Cuius tamē
10 oppositum in primo Physicorum asseuerans, dixit, sed neq; hoc
uerum est, primò quia Aristoteles non ponit istas species, & for
mas ante multa: Alterum est, cùm Aristoteles has formas agno
scat, de ideis aduersus Platonem minimè scripsisse. Et nihilomi-
nus nedum in Posterioribus, sed etiam in his quae contra Pro-
95 pri. Lib. 2. cap. 2. clum exarauit, inuehitur in eos, qui Aristotelem ubiq; ideas
impugnantem, nolunt aduersus Platonem, sed aduersus malè
Platonicum dogma excipientes esse loquutum.

DECIMAOCTAVA.

INtellectum agentem Deum benedictū esse, Auerroem opi-
natum, Bononienses contendunt: moti profectò ex ipsius
20. Auerrois uerbis, quae & in tertio de anima, & in duodecimo
38. Metaphysices leguntur. Alij autem nonnulli eiusdem Auerrois
17. in tertio de anima uerbis muniti, talem intellectum non Deum,
sed animae partem esse, Auerroem opinatum, ostēdere conatur.
At si ea, quae in quarto Paraphrasis Metaphysicalis libro scrip
ta reliquit, inspiciamus, non amplius Deum, uel animae partem;
sed orbis lunae motorem, intellectum agentem esse, ad Auerrois
aures inuenimus.

DECIMA NONA.

Venenum in humani corporis alimentum conuerti posse, in primo Physicorum apertissimè scribit Auerr. Cuius tamen oppositum, in septimo Collectaneorum libro, ex intento monstrare conatur. 60. Cap. 1.

VICESIMA.

Angelicus Doctor in quarto sententiarum, in centro terræ infernum esse, ostendere nititur. At dum ad Venetũ lectorem respondet: eum in centro terræ non esse, omninò probare imaginatur. Dist. 44. art. pri. q. 3. ad. 1. Arti. 24.

VICESIMA PRIMA.

Logicen philosophiæ partem non esse, Ammonius, nedum in prædicabilium proœmio, sed etiam singulari Quæsito, aperto marte cõtendit. Huius autem oppositum tunc affirmasse uisus est, cùm Rhetoricen à philosophia principia sumere, ex eo declarat, quia enthymema et exemplum sumit; quæ syllogismo atq; inductioni, proportione quadam respondent: hæc enim (separata logica excepta) in nulla philosophiæ parte declarantur. Idem etiam asseruisse apparet, cùm Porphyrij logicalem introductionem aggressurus, ei de Philosophia sermonẽ futurum affirmauit. Nec dicere sufficit, hanc latinam uersionẽ haud sinceram esse, cùm ad græci codicis fidem nõ philosophiã, sed philosophorum sermones, seu rationes, se incepturum Ammonius asseueret: Nam si logicales philosophorum sermones, quos incepturus est, ab eo non existimarentur philosophia, quomodo hos aggressurus concluderet, se philosophiæ definitionem necessariò explicaturum quia omnem qui aliquid aggreditur quid illud sit, præuidere oportet? In calce. In eadem præfactione. In princ. præfac.

VICESIMA SECVNDA

In expos. huius loci.

CONiunctionem, & ,in principio prædicabilium ideo à Porphyrio expressam, Ammonius inquit, ut ostendat libellum illum, non solùm ad Aristotelis, sed etiam ad Archytæ atq; aliorum categorias, opem afferre. Hoc autem, quod prius affirmauerat (haud absq; memoriæ lapsu, ut apparet) inferius aliquantulum progrediens, uelut absurdum impugnat.

VICESIMA TERTIA.

Cap. de diffe.

Circa princ.

RAtionale & irrationale, animalis specificas aliudq; facientes differentias esse, Porphyrius in prædicabilibus affirmat. At ut Galenum, atq; Plutarchum taceam, ipsemet in tertio de abstinentia ab esu animalium libro, diuersitatem inter rationalia, & ea quæ irrationalia uocantur, non in essentia esse, sed in eo, quod magis & minus consideratur; ipsius etiam Aristotelis testimonio contendit. Ex quo in Porphyrij dictis alia perplexio sequi uidetur: Nam cùm inter rationalia & irrationalia in eo differentiam esse concedat, quòd uel magis uel minus ratione prædita sunt, non quòd pœnitus ea careant, neq; quòd nos eam habeamus, illa non habeant: Cui dubium, quòd rationale & irrationale magis & minus suscipere posse affirmat? Cuius tamen oppositum, differentiam cum specie comparando, aliàs clarissimis uerbis expressit.

In. 2. tract. prædicab.

VICESIMA QVARTA.

Cap. de subst.

POrphyrius dum proprij significata recenset, nedum in eo perplexus esse uidetur, quòd in prædicabilibus quatuor, in categorijs uerò illa tria esse affirmat; sed etiam (quòd quidem maioris ponderis est) in hoc, quòd scilicet in prædicamentis asse-

uerat, potissimum proprij significatum duabus conditionibus tantum absolui, hoc est, quòd omnibus, & solis insit. Quas tamen ad hoc proprij significatum conficiendum non sufficere, sed tertiam, idest temporis uniuersalitaté requiri, aliàs manifestat. In Præd. c. 5.

VICESIMA QVINTA.

CVM Specificas differentias magis & minus ideò non suscipere Ammonius ait, quia, cùm substantijs nihil sit contrarium, nec etiam eis magis & minus inesse potest: eas substãtiæ prædicamento claudi, asserere uidetur. Aliàs autem (& uerius quidem) eas in omnibus decem prædicamentis collocauit. Cap de diff. Cap. de spec.

VICESIMA SEXTA.

CVM Auerroes, decem esse prædicamenta et non unum, ex eo suadet, ꝙ hoc nomen ens dicitur de eis æquiuocè, uel aliqua ratione analogiæ, expresè prædicamentum quodlibet uniuocum, non autem æquiuocum, uel analogum esse confitetur. At si hoc uerum est, cùm quantitas etiam per ipsum unum prædicamentum sit, quomodo non solùm in posterioribus, atq; Logicis Quæsitis, sed etiam in Metaphysicis ipsis, eam respectu suorum inferiorum æquiuocũ quoddam esse affirmat? Nec dici potest, ꝙ per æquiuocum, analogum intellexit Auerroes: tum quia contradictio adhuc staret in robore suo, cùm prædicamentum non solùm æquiuocum, sed etiam analogum esse neget: Tum etiam quoniam seipsum Auerroes declarans, quantitatem æquiuocum quoddam uerè, & non analogum dicit. In prædic. b. cap de specie. Lib pri 38. 56.74. 13. 45. pri. Pri. post. 74. & q 13.

VICESIMA SEPTIMA.

IN Propositionibus aliquot pares terminos esse, peripateticorum princeps pluries affirmat. Huius autem oppositum Pri Poste. 26. 27.97.93.

Pri. Post. 1. in prioribus Analyticis tunc confessus esse uidetur, cùm esse in toto idem cum dici de omni esse dixit: Cùm enim in huiusmodi propositionibus, in quibus terminos pares esse arbitratur, reperiatur dictum de omni, in his etiam esse in toto inueniri concedit: Secus enim non idem esse dixisset: Non amplius igitur hi termini pares, sed dispares sunt: cùm subiectum partem, & prædicatum totum esse uelit.

VICESIMA OCTAVA.

Lib. 1 cap. 5. & 8. IN definitam propositionem syllogismum ingredi ueluti particularem, & Aristoteles in Prioribus scripsit, & Alexander Aristotelis dicta exponens affirmauit. Huius autem oppositum tunc expressit Alexander, cùm dixit, in conuersionibus Aristotelem de indefinitis nihil dixisse, eò quòd ratiocinationes utiles non sunt. Quòd si à nobis hanc contradictionē solui aliàs tentatum est, quia solutio illa uidetur esse aliquantulùm uiolēta, ob hoc planiorem, atq; tutiorem solutionem ab aliquo perspicacioris ingenij expectamus.

Suo com 13.

VICESIMA NONA.

ACcidens per accidens, quod quintum est prædicabile, è demonstrationum ambitu excludendum, iuxtà Aristotelis sententiam, infinities scribit Auerroes. Porphyrij tamen introductionem exponens oppositū dixisse uidetur: Cùm quinq; prædicabilia partes esse propositionum demonstrationis affirmauit. Quòd si quis contradictionem hanc eo pacto dissoluere tētabit, quo aliàs à nobis est dissoluta: Hic ad ipsius Auerrois logicalem Epitomam accedat, inuenietq; ipsum consimile dicentem: hocq; in Epitoma dictum, nostra glossa (ut illud) in intro-

In princ.

Cap. de locis demonstrationis.

ductione aufugi non posse, cognoscet.

TRIGESIMA.

NON Solùm demonstrationi simpliciter, sed etiã propter quid & quia, naturalem prædicationem inesse, affirmat Auerroes. Huius autem oppositum tunc innuere uisus est, cùm ad Aristotelis aures dixit, ex demonstratione quia per maioris conuersionem effici demonstrationem propter quid: In conuersione siquidem propositionis naturalitatem minimè seruari, ipsemet asseruit Auerroes. Q. x. pri Post. 97. 98.

TRIGESIMA PRIMA.

DIuisionem inter quæsita, quæ in libro Topicorum declarantur, & ea quæ in secundo Posteriorum patefiũt, Auerroes declarans, conclusit, quæsita in libro Dialectices numerata, esse quæsita, quæ accidunt ex parte qua sunt in anima: sed eã quæ in secundo Analyticorum numerantur, sunt quæsita, quæ consequuntur entia ex parte quã sunt extra animam. Vtriusq; tamen huius oppositum scripsisse reperio: Quãdo enim quæsitum, nunquid aliquid sit? & nunquid mundus sit creatus? inter Topica connumerauit, non amplius uelle uidetur, topica quæsita esse ea quæ accidunt ex parte qua sunt in anima tantùm: Cùm uerò Themistium impugnans, scripsit ꝙ artifex demonstrationis interrogat, an prædicatum sit definitio subiecti, an non sit definitio? quæsita in posterioribus declarata, non esse ea, quæ entia sequuntur ex parte qua sunt extra animam, concedit. 4. Phys. 43. 2. Post. 3. pri. Top. 4. eod. lib. c. 9. 2. Post. 3.

TRIGESIMA SECVNDA.

DVAS Accidentis definitiones ab Aristotele in Topicis pri. Top. c. 4.

assignatas adinuicem Auerroes comparás, dixit, quòd ea quæ per reliquorum prædicatorum negationem assignatur, ambit accidentia separabilia & inseparabilia, altera autem separabilia tantum. At in logices Epitoma suimet forsan oblitus, eam quæ per negationem tradita est, non amplius separabilia & inseparabilia, sed inseparabilia tantùm accidentia comprehendere, confessus est.

Cap. de rationibus probabilibus & litig.

TRIGESIMA TERTIA.

Lib. 8. cap. 10. 3. Poli. cap. 5. & Lib. 4. c. 2.

TREIS Rerum publicarum formas, tùm in Ethicis tùm in Politicis esse Aristoteles côtendit; scilicet Regiã, optimorum, atque censuum potestatem: Treisque earum tanquam interitus, priuationes, Ut tyranidem, paucorum, atque populi potestatem. At in Rhetoricis, horum (ut uidetur) oblitus, non amplius treis, sed quatuor rerũ publicarum formas esse affirmat, quippe cùm paucorum potestatem (quam optimatum potestatis labem esse dicebat) tribus adiungens, quatuor facit.

Lib. 1. cap. 9.

TRIGESIMA QVARTA.

In ciuili. 4. Polit. 2.

PLatonem dicentem, populi potestatem omnium earum quæ bonæ sunt deterrimam, uitiosarum optimam esse, non admittit Aristoteles. Non enim, inquit, populare genus aliud alio melius esse rectè dicitur, sed minus malum dicendum est. At si hoc uerum est, nec tu ô Aristoteles rectè dixisti, censuum potestatem deterrimam dicês: ne siquidem tuo gladio iuguleris, eam minus bonam esse dicere debebas; Si populare genus aliud alio melius non rectè dicitur, ô Aristoteles, sed minus malum dicendum est, Nec igitur pauciora atque finita facere principia, ut Empedocles, melius esse, quàm infinita, ut Anaxagoras, dicere

8 Ethic. 10.

1 Phys. [illegible]

debebas,

debebas, sed minus malum.

TRIGESIMA QVINTA.

CIrca uerba illa, terra et aqua omnia quæcunq; fiunt uel natura producuntur, quæ à Porphyrio allata sunt in Græcis expositoribus perplexionem magnam inuenio. Ea siquidem Philoponus à Porphyrio Xenophani, qui siccum et humidum, idest, terram & aquam principia esse ratus est, tribui testatur. Siquis autem ambiget, quomodo idem Philoponus Xenophanem omne esse unum, finitum, et immobile aliàs affirmat, Hic apparentem contradictionem ex ipsemet Grammatico soluere posset. Simplicius autem prædicta uerba in Porphyrio Anaximeni ascripta fuisse cõfitetur: quod profectò est ualde mirandum, quippècum Anaximenem non terram & aquam, sed unum principium posuisse, idq; infinitum, aerem scilicet, ipsemet Simplicius (ut Philoponum taceam, atq; Laertium) animi fassus est.

In.1.phys. Sup.48.

Sup.6.1.lib.

Pri.phys. suo com. 45.

Pri.phys. suo com.3.

TRIGESIMA SEXTA.

DImensiones interminatas in materia formæ substantiali non præesse, nedum in proprio libello ei adscripto, sed etiam in Quæstione de anima, & in prima parte Summæ D. Thomas apertissimè declarat. At in quarto contra gentes, & Boetium de Trinitate exponens, accedens ad Auerrois dogma, negatas dimensiones manifestissimè confitetur.

Art.9. Q.76.art:6. Cap.81 In de subst. orbis cap:

TRIGESIMA SEPTIMA.

PLatonem, motionem secundùm locum lationem appellantem redarguit Aristoteles; cùm non omnis motio secundum locum sit latio. At si in hoc ferendus non est plato, uelut contra Topicũ

4.Top. loco 19.

Quinto Physic 18. locum speciem pro genere ponens. Nec etiam hoc ĩ eodem ipse fcratur Aristoteles: se ipsum siquidem latet (ut Alexander innuere uidetur) dum Platonem corrigere uult: In quinto etenim de physico auditu dicendo motum secundum locum esse sine nomine, ipsum lationem appellat.

TRIGESIMA OCTAVA.

COELI Motum possibilem & non permanentem ex se, necessarium autem & æternũ esse ex motore, Duodecimo diuinorum contendit Auerroes. At si hoc uerum est, perlibenter uellem, ut mihi declarent ij qui in Auerrois uerba iurarunt, quomodo cùm his sequentia aduersus Auicennam ab Auerroe prolata conciliantur, Si autem dixeris, quòd motus cœli ad ubi ẽ possibilis ex se, necessarius uerò ex motore æterno (nam si motor nõ esset æternus, possibile esset ut quiesceret, si autem esset possibile ut quiesceret, iam quieuisset in tempore infinito uicibus infinitis, si autem hoc esset, reperiretur aliquid possibile ex se, necessarium ex alio.

Ex intento.

Dicent, hoc de cœli motu non impossibile, sed necessarium putat Auerroes. audiant sequentia, & deinde Auerroem à contradictione liberent, si possunt, Deniq; necesse est, ut iste motus sit esse necessarij ex se: nam si esset possibile ut deficiat ex se, tunc esset possibile, ut deficeret motus in genere, & ueniet hora in qua nihil mouebitur: nam iste motus, cùm intelligitur deficiens, deficient alij motus, ex eo ꝙ est uniuersalis & continens, & caussa ut non deficiat motus in genere: ergo iste motus non indiget motore æterno ex eo ꝙ est possibilis, eo tamen indiget ex eo quòd omnis motus habet motorem.

TRIGESIMA NONA.

CORpus Cæleste non ex se æternũ, sed à suo motore æternitatem adeptum fuisse, Alexandrum in quibusdam suis tractatibus opinatum, scribit Auerroes. Hanc autem opinionẽ Alexandrum librum de cœlo exponentem reiecisse, Simplicius affirmat: quam profectò peculiari quæstione etiam impugnasse uidemus, Contraria igitur in tractatibus, & in expositione (ut quæstionem omittam) concessit Alexander: Auerroem siquidem, aut Simplicium mendacium scripsisse opinari, nephas esse uidetur.

8. Phys. 29. Lib. pri. com. 80. 22. et ult. Lib. 1. cap. 18.

QVADRAGESIMA.

COELI Materiam ab inferiorum materia aliam esse, in secundo de generatione Philoponus manifestissimè expressit: quando generatorum materiam, & ob contrarietatem ĩ forma existentem, & ob propriam ipsius materiæ naturam potentiã habentem, semper esse in potentia dixit: æternorum autem materian non solùm ob formam contrario carentem, sed etiã ob ipsius materiæ naturam, quæ potentiam non habet, semper ĩ actu esse arbitratur. Alias autem aduersus cœli æternitatem libros quinq; est fabricatus: in quorum quarto unam eandemq; materiam primam subiectam esse, & cœlestibus, & his quæ sunt sub luna, illamq; in potentia esse ad omnes formas suscipiẽdas, ostendere conatus est,

19. Vide Simpl. in 8. Phys. in præfatio. & com. 101. & pri. cœli 17. & 20. in calce.

QVADRAGESIMA PRIMA.

AVerroes discrimen inter tractationem de generatione elementorum, in libris de cœlo, atq; in libris de generatione traditam, inquirens, dixit, in libris de cœlo pertractari de

3, cap primo.

In princ. 3 li. elementis ut sunt subiectum, At in libro de ortu & interitu ut sunt caussæ. Si tamen adeamus eundem in paraphrasi, inueniemus ipsum huic discrimini (ut apparet) derogantem: ait enim, quintam tertij libri summam declarare elementa, ut sunt caussæ generationis.

QVADRAGESIMA SECVNDA.

EGentricos atq; epiciclos Auerroë impugnasse, ex his qui eius doctrina oblectantur, est qui nesciat nemo. Hos autē eosdem cùm non solùm in Almagesti compendio, sed etiam in ipsa naturali philosophia cōcedat, haud paruum aduersarijs inconstantiæ signum dedisse uidetur.

In princ. Meteor.

QVADRAGESIMA TERTIA.

Paulo post principium.

MAgnus Albertus in opusculo de Alchimia quod semita recta inscribitur, notandum (inquit) q͞ metalla differunt inter se accidentali forma tantùm, non essentiali, quā profectò opinionem, nedum Romanus AEgidius, atq; Rubertus Linconiēsis, sed etiam antiquissimus Calistenes substinuit. In tertio autem de mineralibus libro, in hanc opinionem ex intento inuectus est.

Tract. 1 c. 7.

QVADRAGESIMA QVARTA.

ILLud in Aristotelis dictis uidetur admirabile, quòd infantibus nullū somniū permittit, sed pluribus anno ætatis quarto aut quinto uisa incipere dicit, & nihilominus cùm de risu atq; lachrymis infantium dierum quadraginta loqueretur, post alia uerba subdit: somniare eos constat, sed serò meminisse possunt imaginum.

4. de gener. cap. 10.

De natu. ani. l. 7. cap. 10.

QVADRAGESIMA QVINTA.

IN Quinto de natura animalium libro, scribit Aristoteles, quod Elephantus fœmina incipit coire anno aut duodecimo cùm celerrimè, aut quintodecimo cùm lentissimè, mas quinque aut sex annos natus. At in libro sequenti, eorum quæ dixerat oblitus affirmat, quòd Elephantus tàm mas, quàm fœmina incipit coire anno ætatis uicesimo. Cap. 14.

QVADRAGESIMA SEXTA.

APes auditu carere, in exordio Metaphysices Aristoteles ait At in libris quæ de Animalium historia scripsit, an audiant apes, incertum esse dicit. Eis autem auditum tribuere tunc uisus est, cùm literis mandauit, tempore matutino omnes silent, donec una gemino, aut triplici bōbo excitet omnes: tùm uniuersæ ad opus prouolant, cùmque redierint, primùm item tumultuant, paulatimque minus subinde strepunt; dùm una circum uolitando susurret, quasi dormiendum præcipiat, tùm repente omnes conticescunt: quod quidem Plinius demonstratione quia (etiam ab Aristotele uisa) commostrare credit. Lib. 9. cap. 4 Lib. 11. c 20. Vbi supra.

QVADRAGESIMA SEPTIMA.

ANaxagoram mentem, quæ non sensu (ut clarum) sed mente percipitur, agnouisse, nedum in Physicis, sed etiā in ipsis Metaphysicis testatus est Aristoteles. At si hoc uerum, quomodo eum in quarto Metaphysicorum libro inter illos numerare ausus est, qui sola sensibilia esse dixerunt. Lib. 1. tex. 2. In proœm. 21. 2 1.

QVADRAGESIMA OCTAVA.

REalem identitatem passionis ad subiectum in secundo sententiarum subtilis doctor substinet expressè. At in quinto Distin. 16.

Q. Pri. Metaphysices & in prologo earundem sententiarum, haec realiter
Q. 3. distingui arbitratur.

QVADRAGESIMA NONA.

SVbstantiam abstractam, quae orbem non moueat, esse nullá,
48. Duodecimo diuinorum testatus est Auerrois. Huius autem
Tract. 4. fol. 154. col. 3. oppositum in Metaphysicali Epitoma scripsisse uidetur, cùm dixit. Ex primo principio ordinatur motor orbis stellarum, & ex motore orbis stellarum ordinatur forma orbis stellarum, & motor orbis Saturni, & ex motore orbis saturni ordinatur anima planetae, & motor orbis Iouis: His enim in uerbis nõ solùm
8. Met. ult. orbium formas (quas intelligentias esse alibi dixerat) à motoribus diuersas agnoscere, sed etiam primum principium, orbem non mouere, dicere uidetur.

QVINQVAGESIMA.

MAncos miserabiles id est miseratione dignos, in Rheto-
Lib. 2. cap. 8. ricis scribit Aristoteles. At si hoc uerùm, ab ijs qui eum ueluti Deum colunt, perlibenter scire uellem, quomodo in mancos ĩpijssimam legem tulit, dicens, de exponendis alendisq; foe-
7. Poli. c. 16. tibus esto lex, ut nihil alatur mancum, aut membris orbatum:
Digressio. Si lata lex seruanda fuisset, cùm exilibus cruribus foeminae, ac gracili uoce (ut Laertius ait) ipse praeditus fuerit, ideóq; ad rẽpublicam armis tuendam minimè idoneus, forsan legem à se latam ipse primus pati debuisset: Sed quid mirùm hanc impiam legem ab eo scriptam, cùm multò nephandiora operatus sit? Hic siquidem suis motibus omnia perturbantibus uallatus, à philosophia demones expulsit; ex alio autem latere, eis adeò se dedit, quòd in Nicromantia (ut nephandum uolumen de irradiatio-

nibus Aristotelis nomine præditum, atq; his etiam oculis uisum ommittam) librum omnium nicromanticorum pessimum scripsit qui (ut Magnus inquit Albertus) mors animæ inscriptus est. Quid autem aliud ab hoc sperari poterat, cùm Athenas pithiæ iussu demone agitatæ ad philosophandum fuerit missus? Ac impietatis etiam accusatus Athenis clàm in chalcidem fugere coactus fuit, Amatæ etiam mulieri, cuiusdam serui (qui Hermia uocabatur) concubinæ, immolasse (ut Athenienses Eleusinæ cereri) nedum ab Aristippo in primo de antiquis delitijs, scriptum, Laertius ait; sed etiam ab Arist. ac Eusebio memoriæ proditum est, licet quidam, omni superstitionũ genere infamis, nec Aristotelem, nec Salomonem, facinus hoc cõmittentes, peccasse, defendere conetur. Macedonibus etiam patriã prodidisse, & ab Aristotele in 7. de philosophia. & ab Eusepio in decimo quinto de euangelica præparatione scriptum est. Hic etiã Antipatro, stygis, atq; ueneni, consilium dedit; & ut ad Magnum Alexandrum afferatur, ungulæ ex cogitatione, extitit authør. Ab humanis seminis gustu (quod solo relatu excitat ad uomitũ) non temperabat, ut in Babila. D. Chrisostomus ait. Et tandem, cùm Euripi caussam agnoscere non posset (ut suã scelera exigebant) uel animi mærore, uiribus ob uerecundiam, pudoremq; destitutus (ut Iustinus martir, atq; Procopius affirmat) è uita decessit; uel ea maris parte (ut Nazianzeni Græcus expositor ait) se præcipitem dedit, dicens, postq̃ Aristoteles non prehendit Euripum, Euripus habeat Aristotelem: Eumolus aũt siue historius (quod & apud Suidam quoq; legitur) Aristotelem aconito sumpto sibi ipsi manus intulisse testatur. Hæc autem si Trapezuntius, atq; Lambertus de monte consideras-

In li. de intg. cap. 10.
Philoponus.
Laertius.
Aristocle
Cor. Agrip. in pri. elect. in Symp. lat.
Aristocle
aque
In lib. q gen.
In pri. cõtra iul.
Vide Laertiũ
Hermippus historicus
in fine. 2. lib. in. q ex intel.

sent; minimè Aristotelem in paradiso immensa fœlicitate frui dixissent, sed eum æterni cruciatibus ignis (quod Diuo Hieronymo placet) torqueri iudicassent: ignoscatur autem isti (ut Magni Syriani uerbis utar) Dæmonio, si in sua uita tot nephanda commisit: Non solùm enim naturæ caussas rimari ei satisfecit, sed etiam ipsam in operando imitari conatus est: Hanc siquidem non amplius in suis operationibus quid mirandum habere, melioraq; facere (ut dixerat) sed omnia praua producere, ut sua nephanda scelera, actionis naturæ exẽplo, tegere possit, scriptum reliquit.

In com. sup. ecclesiast. In. 14. Meta. paulo ante fi. 2. de partib. cap. 14. 1. de partib. cap. ult. Decima par. proble. prob. 45.

CVM Hæc à nobis peripateticum dogma profitentibus, eo animo in peripateticorum principem scribantur, quo & Picus in eloquentiam, & Glauco in iustitiam est obloquutus; nemo ex ijs, qui in Lycio sunt enutriti (ut arbitror) nobis succensere debet.

Contradictiones mouentur in dictis;

Alberti Magni 3. 43.

Alexandri Aphrodisei. 3. 5. 28. 39.

Ammonij 2. 3. 9. 21. 22. 25,

Aristotelis. 27. 33. 34. 37. 44. 45. 49. 47. 50.

Auerrois. 5, 6. 7. 8. 18. 19. 26, 29, 30. 31, 32. 38 41. 42 49.

Ioannis Philoponi. 11. 15. 16. 17. 40.

Ioannis Scoti 48.


Porphyrij 23. 24,

Simplicij. 10. 12. 15.

Thomæ Aquinatis 13 320. 6.

Absolutus Alexanij. 1561. primo Ianuarij, hora tertia noctis ad laudem Dei uiui.

FRANCISCVS STORELLA ILLVSTRISSIMO ANNIBALI FOELICITATEM.



VM, Ea sit Virtutis uis, Annibal Illustrissime, ut non solùm absentes, sed nunquam etiam uisos ad amandum impellat, admirari non debes, si me quem nunquã uidisti, nec etiam (ut reor) nomine nosti, tecum iam per literas alloquentem aspectas: Considerans enim quòd nec adolescentia, nec parentum orbitas, nec diuitiarum copia magna, nec etiam totius Italiæ tot prægenitorum stogmatibus fulgens antiquissima prosapia (quorũ quoduis bona ingenia deprimere solet) tanti fuere, ut te inter molles Neapolitanas delitias detineant, sed potius uirtutis scopum præ oculis habens, bonarum artium desiderio flagrans, ad eas hauriẽdas ex uberrimo Patauinæ Academiæ fonte accessisti: quod te cùm acri ingenio atq; tenaci memoria præditus sis iugiq; studio uaces, habeasq; domi eruditum sanè iuuenem Scipionem Marilium, breui facturum, dubitat nemo: Hoc considerans dico, ad te obseruandum, uenerandum, atq; colendum cogor, trahor, atq; impellor. Vt autem meæ in te obseruantiæ minimum signum agnoscas, Opusculũ de Logices utilitate tibi mitto, multò maiora missurus, si nostra (etsi ut tãto uiro nuncupentur indigna) tibi ob innatam humanitatem

non displicuisse cognouero. Vale, & ut me in fidelium seruorũ albo scribere non dedignetis, oro: iterum uale; Ex nostra Villa Boceti.

STEPHANVS ROMANVS PRESITIENSIS AD AVTHOREM.

Nestoreos Storella tibi det Iuppiter annos,
  Cui tot uirtutes Pallas amica dedit:
Cælorum tu cursus, tu quoq; sidera noscis;
  Nec te, ut fixa manet sphærica terra, fugit:
Quotquot sunt rerum, nullius deniq; causæ
  Inscius esse potes, tanta minerua tua est.

IDEM AD LECTOREM.

Si cupis haud facileis Lector dissoluere nodos,
  Hoc uigili studio perlege semper opus:
Vtilis ex hoc ad quid sit Dialectica disces,
  Et tanti Authoris, quam ualet ingenium.



OGIGEN Hoc anno (Diuino fauente numine) professuri, Iuuenes eruditissimi, animaduertentes, quosdam, Tyronum ingenia, ab hac facultate, uelut inutili, atq; uana, detrahere conantes, exordium, haud quaq; à nostro instituto alienum, sumere putamus, si primis in lectionibus, de logices utilitate non nihil in medium afferemus.

LOgicen artibus, & scientijs acquirendis, nedum non necessariam, sed nec utilem quidem esse, non noua, sed uetustissima est opinio. Erasistrati siquidem sectatores quosdã hoc arbitratos, testis est Galenus eo in libello, qui inscribitur, Nunquid sanguis in arterijs natura contineatur. Aristippi asseclas illud idem opinatos, Diogenes i Aristippo, ex Meleagri, atq; Clitomachi sententia, clarissimè affirmat. Notum etiã Epicurum eandem, ut transuersum agentem repudiasse, nedum Seuerinus, atq; Laertius, sed etiam eloquentiæ parens scriptũ reliquit. Cap.7. In princ prædicabil. In Epicuro lib. 2. de finibus.

Prima Ratio Logices

Vanitatem ostendens.

PRO Hac opinione argumentor sic. Vanus est logicæ finis, ergo omnia in ea considerata (& ex consequenti facultas ipsa) uana erunt: Patet consequentia per regulam Topicam, Si quòd minus uidetur esse ẽ, ergo et quod magis, sed minus uidetur, quòd logicæ finis sit uanus, q̃ cætera ob finem considerata, & est (ut iamiam patefiet) igitur. Quòd uerò 2. Top. lec. 35.

finis his quæ sunt ante finem, minus uanus esse uideatur, clara
2. Physic. 31. est philosophi sententia, dum eum respectu eorum, quæ sunt ad
ipsum, optimi rationem affirmat habere. Assumptum probatur,
ut autem probatio clarè percipiatur, notandum, quòd de fine logi-
ces duæ sunt famosissimæ opiniones: Prima Demonstrationem
In præfat. logici negotij finem statuit; & uidetur esse nedum Philoponi, et
post. Ammonij, sed etiam Auerrois, dum dixit, Quare oportet, quod
In præfa præ finis artis logicæ sit perscrutatio proprietatum præmissarum,
dica. & peris quæ sunt huiusmodi, & suarum conditionū notificantiū ipsas.
ber. et in quæ Altera uerò non demonstrationē, sed definitionem logicæ finem
sito Nunquid arbitratur: quam Iuniores AuerroiZantes ex Auerrois uerbis
logica sit pars colligere putant, dum dixit, quòd ob definitionem caussarum co
philosophiæ. gnitio desideratur. Vt itaq; assumpti probatio firmior fiat,
Quæsito. 11. utrunq; īstrumentum sigillatim prius, postea uerò simul unū
Pri. Post. 11. esse probemus: Et primò definitionem, arguendo sit.

Probationis assumpti primæ Rationis

Pars prima definitionem impugnans.

In def. syllog. QVælibet definitio debet constare ex genere, Nulla ora
tio datur, quæ constat ex genere, Nulla igitur oratio est
Cap. de def. definitio. Maiorem Alexander primo Priorum, Auerroes in
in princ. Epitoma logices, & Aristoteles in. 6. Topicorum, apertissimè
declarauit: Minorem manifesto, Nam quodcunq; positum est in
oratione aliqua ueluti genus alicuius, illud tale genus non esse
dupliciter probo.

Primò à destructione consequentis ad destructionem ante-
Tract. 2. 4. cedentis, sit, Si quod ponitur loco generis esset genus, id (ut
Top. loco. 24. Porphyrio, atq; Aristoteli placet) non destrueretur ad destru-

ctionem unius speciei: sed quodlibet tale ad speciei interemptionem interimitur, Nullum igitur, quod generis loco positum est, genus erit. Quòd uerò quodlibet tale, ad speciei destructionem destruatur, argumentum à commutata proportione suadet: quē profectò arguendi modum nō solùm Synesius ī libro de somnijs, Cap. 5. Diuinus Plato in Gorgia, & Aristoteles, tùm in ultimo de interpretatione (si Boethij expositioni fides est adhibenda) tùm in tertio de anima, usui receperunt; sed etiam ipse logicorum 31. monarcha ī secundo de syllogismo, ex intento patefecit. Vt aūt Cap. 27. Tyrones hoc plenè intelligant, exemplo declaro: Volumus probare Animal non esse genus hominis, quia perimitur ad peremptionem ipsius, Arguitur sic, Sicut se habet homo ad non homo, sic animal ad non animal, patet similitudo, sicut enim non homo ab homine, sic non animal ab animali indefinitè distat: Ergo à commutata proportione, sicut se habet homo ad animal, sic non homo ad non animal: sed ualet consequentia, est homo, ergo est animal, ualebit ergo & etiam, Non est homo ergo non est animal, quod erat probandum.

SEcundò, si quod ponitur loco generis esset genus, id ad speciei mutationem permutaretur: sententia etenim est philosophi, 4. Top loco 60. quòd opinio non est genus fidei, quia permutata & perempta fide, remanet eadem opinio: hoc autem consequens est manifestissimè falsum, nam cùm id, quod ponitur loco generis, sit uniuersalius re definita, nulli dubium, quòd non destrueretur ad destructionem illius: Secus enim aduersus peripateticum dogma 2. Prio. cap. 4. à destructione antecedentis ad destructionem consequentis, in terminis disparibus, arguere liceret. Cùm igitur ad speciei pe-

remptionem, quod genus esse putatur, non permutetur, genus igitur illud non erit: Rectè igitur conclusum, quòd nulla uera datur definitio: Ad quod (Aduersarij dicent) respiciēs Aristoteles primo de anima, dixit definitiones dialecticas i. per dia
11. lecticos canones assignatas, esse uanas.

Probationis assumpti primæ Rationis
Pars secunda demonstrationem euertens.

1 QVòd Verò demonstratio futile sit argumentum, ostenditur. Conclusio demonstrationis simpliciter potest falsificari, ergo à fortiori (per locum Topicum) & demonstrationis quia, & demonstrationis propter quid: has siquidem demonstrationes à simpliciter demonstrationis perfectione recedere est manifestum: cùm illa (ut Auerroes inquit) sit uerissima specierum demonstrationum secundùm ueritatem, & perfectissima ipsarum secundùm scientiā. Assumptū probatur, nedùm. n. Auer-
pri. Post. 55. rois, sed Arist. expressa est sententia, quod demonstratiōis cōclusio
2. Post. 12. 20. 41. passionem infert de subiecto: sed possibile est passionem corrū-
pri. de ani. 4. pi absq; hoc, quòd subiectum corrumpatur, igitur. Quòd uerò hoc sit possibile, probo.

Quoties ex una parte sunt duo, ex alia uerò etiam duo, quæ hac ratione se habent, quòd illa duo faciunt unum magis, q̄ hæc alia duo, si illa duo facientia magis unum ab inuicem separari possunt, ita quod unum corrumpatur, alio remanente, à fortiori etiā & hæc alia duo facientia minus unum, sic separari poterunt,
5. Metaph. 11. quòd unum corrumpetur, alio remanente. Patet, Nam si (Aristotele teste) unitas sumitur ex indiuisibilitate, cui dubiū, quòd ubi minor unitas, ibi minor indiuisibilitas? Declaratur etiam

exemplo, si duo lapides calce coniuncti faciant unũ magis unũ quàm alij sine calce coniuncti, cùm illi duo calce coniuncti sic possunt ab inuicem separari, quòd remanente altero, corrũpatur alter; quis ambiget, quòd magis hi sine calce, eodem etiam pacto se habebunt? Huic assumpto subdatur, sed materia & forma sunt duo, quae faciunt unum, magis unum, q̃ subiectum & passio (faciunt.n. unum essentiale, haec uerò accidentale) & hac ratione se habent, quòd sic separari possunt, corrupta.n. forma, remanet materia; ergo à fortiori passio & subiectum, quae demonstratione concluduntur, sic ab inuicem seiungi poterunt, quòd uno (utputa passione) corrupto, aliud (ut subiectum) remanebit, quod erat probandum. 8. Metaph. 11. 7 Metaph 17 Pri. Phys. 2.

Secundò, Demonstratio mathematica est omninò falsa, ergo & quaelibet, cuiusuis facultatis, Probatur sequela, Nam si mathematica est falsa, quae est in primo gradu certitudinis (ut Aristoteles secundo Metaphysices inquit) quae etiam est ut in pluribus simpliciter (ut Auerroes ait) cui dubium per locum Topicum toties hodie allegatum, quòd & quaelibet cuiusuis alterius facultatis falsa erit, cùm nec in primo gradu certitudinis sit, nec ut in pluribus simpliciter conficiatur? Assumptum declaratur, Consideratio considerans rem aliter, q̃ est, est consideratio falsa, Tota mathematica facultas est consideratio considerans rem aliter q̃ est, nedum igitur mathematica demonstratio, sed tota facultas est consideratio falsa: Maiorem Aristot. in Metaphysicis posuisse uidetur, cùm dicere quod est non esse, aut quod non est esse, falsum esse dixit: Minorem nedũ Ammonius dum in totam philosophiam praefatur, sed etiã peripatetici ferè 16. Pri. Post. 103. Li. 4. tex. 27.

omnes, ut Simplicius, Philoponus, Themistius, Auerroes, atque Aristoteles, uno ore confitentur, quum dicunt mathematicam facultatem, quae materiae sunt immersa, sine materia cōsiderare.

2. Phys. à 16. ad 21.

Tertiò, si demonstratio esset aliquid, demonstratio profectò esset syllogismus. Omnem enim demonstrationem (si esset) syllogismum esse, Aristoteles dixit: syllogismumque in demonstrationis definitione generis loco positum, affirmat Auerroes: Sed demonstratio syllogismus non est, demonstratio igitur non est aliquid. Quòd demonstratio syllogismus non sit, Arguo, finis (ut inductione patet) non praedicatur in recto de eo, cuius est finis; nec. n. Rhetoricam benedicere seu suasionem appellamus, nec etiam corpus superficiem, nec hanc lineam, aut illam punctum dicere solemus: sed syllogismus est finis demonstrationis (ut

Pri. Prio. 9.

Pri. Post. 8.

48 primo de anima dicitur) igitur syllogismus de demonstratione in recto non praedicabitur; quare non dicemus, demonstratio est syllogismus: quod probare intendebamus.

Probationis assumpti primae rationis pars tertia definitionem, & demonstrationem simul oneruens.

VLTERIUS, Destructa est definitio, atque demōstratio sigillatim, iam utramque simul impugnemus, sic arguendo: si definitio, & demonstratio essent aliquid, essent profectò sonus, sed sonus non sunt; nihil ergo sunt: tenet consequentia. nam definitio & demonstratio, si aliquid essent, essent uox, quia utraque oratio, & si uox, sonus: uocem siquidem soni speciē

esse

esse, nedum Ammonius in libello Perihermenias, sed etiam philosophus secūdo de anima testatus ē. Quòd uerò sonus nō sint, Arguo sic, Quælibet pars soni est sonus, Pars definitionis, seu demonstrationis non est definitio seu demonstratio, igitur definitio seu demonstratio non sunt sonus: Prima patet ex definitione soni, soni etenim pars quæuis est motus factus à percutiente & percusso in aere; Secunda nota; Definitionis etenim partes genus, & differentia sunt, quorum neutrum est definitio: Et demonstrationis treis termini, duæq; propositiones, quorum nullum est demonstratio. Nec arguendi modum negare licet, cū eo quarto Physicorum usus sit Aristoteles: Volens. n. probare, quòd tēpus non sit conuersio, Arguit sic, Pars temporis est tēpus, Pars conuersionis non est conuersio, ergo tempus non est conuersio: à simili, Pars soni est sonus, Pars definitionis non est definitio, igitur definitio non est sonus: & de demonstratione similiter. In præfat. 87.88. Pri. de anima 78 & 67. 93

Secunda Ratio Principalis.

SEcundò principaliter logices uanitatem ostendimus, sic argumentantes. Logica uersatur circa nihil omninò tāq; circa subiectum, Logica igitur uana atq; futilis facultas ē: Consequentia patet, nam (philosopho teste) artis subiectum, nedum esse debet aliquid, sed quod sit in arte, debet præcognosci: Antecedēs probatur, Nam cùm in logica (iuxtà commune opinionem) subiectum sint secundò intellecta, uel ens rationis, ut instrumentum notificandi, quæro, si hoc ens rationis est aliquid, uel est ens dependens, uel à nullo dependens (diuisio cùm per contradictoria tradita sit, aufugi nequit) At nec hoc, nec illud ens est, nihil igitur omninò est: Quòd nō sit ens independēs, Pri. Post. 2.

patet, solus etenim Deus est, qui à nullo dependet: Quòd uerò ens dependens non sit, probo, Nam si est ens dependens, cui dubium quòd ab aliquo dependentia quadam dependeret? Tũc quæro, dependentia illa aut est ens reale, aut rationis: Non reale, ne forte relationem maioris entitatis q̃ suus terminus est dicere cogamur: Accederet etiam ad hoc, quòd relatio realis ad terminum rationis terminaretur: Si itaq; ob hæc dices, quòd est ens rationis, quæram ut prius, aut dependens, aut independens: Non secundum, quia esset Deus: Nec primũ, quia de dependẽtia quærerem, ut antea, & sic in infinitum. Hoc quod ratio

4. Metaph. 2. *probat, authoritate confirmo: Nam cùm Aristoteles dixisset, Ens dici non solùm substantiam, & quæ ad substantiam habitudinem habent, sed etiam negationes, nam non ens ens dicimus esse: hoc Arist. dictũ glossat Auer. dicẽs, quòd per hoc ĩtẽdit, ꝙ hoc nomẽ ENS dicitur de primis intelligibilibus et secundis, & sunt res logicæ. En igitur quòd secundò intelligibilia, quæ res logicæ sunt, ea entia uult Auerroes esse, quæ ab Aristotele negationes, & non ens appellantur.*

Ratio Tertia.

SI *Logicalis cognitio ad philosophiam acquirendam utilis*

34 *est, Maior logicalis cognitio (per locum 2. Topicorũ assignatum) ad eandem nanciscendum magis utilis erit, & sic magis peritus in logica, in philosophia quoq; peritior esset, quod tamen est falsum: Videmus. n absolutissimos logicos prorsus philosophiæ ignaros: & Auerroes Auicennam in Dialecticis*

3. de. ani. 30. *laudans, in philosophicis illum haud parum errasse testatur.*

Ratio Quarta.

AD Idem facere uidetur Auerrois dictum, cùm logicos sermones extraneos, & philosophiam ex ipsis compositam uocat extraneam. Et Alexander duodecimo Diuinorum logicam inquisitionem inanem appellans, idem (et forsan peius) aduersus logicam facultatem testatus est. 4. phys. 87. Suo com. 2.

Ratio Quinta.

ACcedit Ad hæc, quòd logices uanitatem Athenienses ostenderunt: cùm Protagoræ logicales libros ueluti noxios, publico decreto comburi iusserunt.

Ratio Sexta.

IDEM Etiam authoritate diuini Platonis astruitur, qui in Parmenide logicen garrulitatem quandam, & inutilem uocat: quo ex loco Ammonius in peculiari quæsito, atq; Philoponus, dum in Priores Analyticos exorditur (licet non ita clarè, ut ille) ansam cæperunt dicendi ad mentem Platonis, logicam non esse partem philosophiæ, ne philosophiam garrulitatem Plato nominaret.

Ratio Septima.

PRæterea quùm logica tot cauillationes, tot sophisticas doceat importunitates, quibus non magis adiuuamur, q̃, decipimur, cui dubium quòd non solùm inutilis, sed etiam noxia esse uidetur?

Ratio Octaua.

ILlud etiam mali logica habere apparet, quòd prauos mores inducit; ait enim Auerroes, quòd philosophi huius temporis quùm uideant se despici à Principibus, à uirtutibus tradunt se

ad uitia & uoluptates, & accidit eis dispositio innaturalis, in tantùm quòd non sint digni esse pars ciuitatis; & hoc potissimũ Dialecticis, uel (ut Mantini translatio) ijs, qui se logicæ tradunt, accidere testatur. Signum euidentissimum, quòd in logica ad uitia & uoluptates contineatur inclinatio quædam.

Ratio Nona.

NOnò esto quòd ethnicum philosophum logica uti deceret, fidelis tamen christianus eam tamq; pessimum uenenum aufugere debet: est etenim (ut diuus Hieronymus inqt) hæresum fautrix, atq; maxima tutrix.

In expos. 93. psal. secundũ mysticũ sensum.

Ratio Decima.


DEmùm Dialecticos in Sanctorum Patrum decretis notatos inuenimus, in eis siquidem ex Diuo Hieronymo uerba hæc accepta leguntur: Nonne uobis uidetur in uanitate sensus, & obscuritate mentis ingredi, qui diebus ac noctibus in dialectica arte torquentur? Sed quid bone Deus diuùm authoritates in dialecticam ducere opus est, cùm horũ nugaces quæstiones à Poeta etiam irrisæ conspiciantur, dum cecinit.

Distinct. 37. cap. Nonne.

Maro.

" Hinc omnis certat Dialectica turba sophorum:
" Est lux, est ne dies, ergo non conuenit istuc:
" Nam facibus multis, aut fulguribus, quoties lux
" Est nocturna homini, non est lux ista diei.
" Est & non igitur, quoties lucem esse fatendum est,
" Sed non esse diem, mille hinc certamina surgunt:
" Hinc pauci & multi quoq; talia commeditantes
" Murmure concluso rabiosa silentia rodunt.

LECTIO SECVNDA.



Q VVM In hesterna lectione pluribus rationibus logicen penitus inutilem ostendere conati simus: Cõsequens iam est, ut in hodierna, pro ueritate palinodiam canentes oppositũ ostendamus. Logicen artibus et scientijs acquirũdis utilẽ esse, nedũ ratio probat, experientia docet, authoritas confirmat, sed etiam doctrina symbolica, similitudinaria, fabulosa, sacra, atquè inductiua suadet. Probat ratio desumpta ex uerbis Galeni, interrogando sic, O Epicure, quæro, nunquid ex quolibet antecedente indifferenter licet inferre quodlibet cõsequẽs, uel non, Sed hac ratione infertur unum, quòd aliud inferri non licet? Si primum dices, arguam sic: Negat Epicurus logicam esse utilem, ergo logica est necessaria: Epicurus est homo, Volat auis, Logica igitur necessaria est: Deduco consequentiam, nam si per te ex quolibet antecedente licet inferre quodlibet consequens, quùm prædictorum quodlibet unum sit antecedens, cui dubium quòd ex illo, istud consequens inferre possum, ergo logica est necessaria? Si uerò dices secundum, quæram, Aut est utile scire, quòd consequens est inferẽdum ex uno antecedente, et quòd non, Aut non erit utile: si eò dementiæ uenies, ut dicas, quòd hoc cognoscere non erit utile, nonne magna cõfusio, nihilq; certi non solùm in doctrinis, sed etiã in uestris dogmatibus erit? exposito siquidem aliquo antecedente per te hac ratione est inferendum unum consequens, quòd non eius oppositum & non

In lib. nũquid sanguis in arterijs natu. contineatur ca. 7.

est utile scire, quòd est consequens inferendum: sic igitur qui substinet partē quæsiti affirmatiuam, dicet, quòd consequēs inferendum est affirmatiuum, & qui negatiuam, negatiuum: & sic quæsitorum nullum erit certum, sed omnia in ambiguo. Ne igitur ad hoc deueniat Epicurus, cogetur dicere profectò, quòd utile erit cognoscere ꝙ consequens est inferendum ex posito antecedente, & ꝙ non. Quū igitur logica hoc doceat, necessariò sequetur, quòd logicalis cognitio utilis erit.

Experientia etiam logices utilitatem docet: Nam si quæramus, cur Epicurus in tot falsas opiniones cecidit? Respondet Cicero in secundo de finibus, quòd hoc fuit, quia logicam despexit. Si uerò uniuersalius perscrutemur, unde est, quòd Antiqui philosophantes tàm crebrò errabant? Responsionem Seuerinus Boetius assignans, inquit, quia logicam non callebant: Vnde uidemus Aristotelē in eos, uelut in logica peccantes inuectū.

pri phys. 10. 22.

Hoc idem etiam authoritas confirmat. Possem profectò hoc in loco ex diuino Platone Dialectices laudes quàmplurimas afferre: Adeò nempe facultatem hanc extollit Plato, quòd nedum philosophiæ culmen & fastigium esse, sed etiam dialectici à tergo se tanq; Dei uestigia sequi dicere non erubuit; uerùm quùm per dialecticam non rationalem facultatem, sed Metaphysicam ipsam (ut Olimpiodoro placet) intelligat Plato, ne per æquiuocationem decipiamur, sicuti alios quosdā in hoc deceptos esse uidemus, isthæc dialectices elogia prætermittētes dicimus, quòd rationalis facultatis utilitatem demonstrauit Plato, dum sub Parmenidis persona Iuuenem Socratem alloquentis, ait, Pulcher sanè atq; diuinus (mihi crede) impetus iste tuus, qui ad

In 7. de rep.

In Philebo.

In Phædro.

In pr Metap.

In parmenide

rationes se fert: Caeterum collige te ipsum, diligentiusq; te in ea facultate exerce, quae inutilis esse uidetur multis, & quaedam garrulitas nuncupatur, dum iuuenis es, alioquin te ueritas fugiet. Romanae etiam eloquentiae parens in libro de claris oratoribus dialecticam artium omnium artem maximam appellat. Vt autem ad nostros Peripateticos accedam, quinq; logicas artes pluries narrat [a] Auerroes, Resolutiuã.s, Topicam, Sophisticã, Rhetoricam, atq; Poeticã: Resolutiuam [b] eam nobis utilitatem ipsemet praestare testatus est, quae ultima, atq; summa est hominis perfectio: Topicae [c] utilitatem maximã nedum Auerroes et Alexander, sed etiam ipse Aristoteles in textu patefecit: Sophisticam [d] autem facultatem & si non ad usum, ad fugam tamen utilissimam cognitu, Philoponus atq; Alexander affirmãt: Rhetorices [e] utilitatẽ ostendere (quũ ab Aristotele atq; Auerroe sit patefacta) superfluum iudicamus. Poetices [f] autẽ iuuamen summae necessitatis Aristoteli uisum Auerroes scribere nõ dubitauit.

a In praef. Poster. 1. Post. 1. In Epit. log. in pri. in serm o. de reb. comp. & in sermo. quo fiunt arg. quae loca uocantur.
b Vide Auer. ĩ praefat Prio. & Post et in q 10.
c Cap 2.
d In praefa. Poster. & in praef. Prio.
e Lib 1. c. 1.
f In Epit. log. in fine.

Sed ne eorum testimonio res agi uideatur, qui ob hanc caussam in iudicio uocantur, ex authoritate ad symbolicam doctrinã accedamus, inueniemusq; Pythagoram iubẽtem, Super modium ne sedeas.i. rationalem partem, qua anima omnia metitur, iudicat, & examinat, otiosa desidia ne remittentes amittamus, sed dialectica exercitatione ac regula dirigamus assiduè, & excitemus,

Stoici ex similitudine etiam logices utilitatem ostendere tentarunt, ut Laertius affirmat, inquiens, Enimuerò philosophiam animanti similem dicunt, ossibus ac neruis logicen carnibusq;

In Zenone citico.

Ethicen, animæ physicen conferentes. Siuè rursus ouo, esse quippè superficiem logicen, sequentia ethicen, intima, & pœnitus abstrusa physicen. Sūt qui agro frugifero, quippè circumiectā sepē logicen, fructum ethicen, humum ac arbores physicen. Nonnulli ciuitatis muris optimè septæ ac pulchrè ex dignitate administratæ. Siuè igitur logica ossibus ac neruis, siuè ouis superficiei, siue agri sepi, siuè ciuitatis muris cōparetur, semper eò comparatio tendit, ut logices utilitas maxima ostendatur.

Fabulosa etiam antiquitas dum Mineruam duplici armorū genere munit, logices utilitatem figurat: Cùm etenim duplex sit (ut Auerroes, & Aristoteles inquiunt) Dialectici munus, respondentis. s. & arguentis, Hinc Mineruam, idest, sapientiam ipsam duplici armorum genere præditam decantant, clypeo scilicet, & hasta: per clypeum sanè quid aliud intelligunt, quàm logicas regulas, respondentis atq; defendentis munus explentes; quibus ueluti clypeo sapientia à fallacibus arguentis ictibus defenditur? per hastam uerò nonne Topicas regulas designāt, quæ arguentis munus absoluunt? His siquidem sapientia instructa, uelut hasta, falsum impellit atq; propugnat: Vnde non immeritò dialectica pingitur ad iuuenis pulcherrimæ īstar, utraq; manu uiperam tenentis: Iuuenis quidem, quia cæteris iunior est: pulcherrima autem, quia aliarum nulla eam pulchritudine excellit; duplicata autem uipera opponentem, respondentemquè repræsentat, quorum uterq; alterum ueneno so sermone mortificat, si dialectica priuatus inueniatur. Solet etiam inter septem sorores nudato ense depingi, quia alijs sororibus, quando opus est, uerum à falso discernens, iustitiam ministrat.

Vide Auer. pri. Top. 1. & Aristo. in toto octauo lib.

Quòd

Quòd si ex fabulis atquè inani pictura ad sacram doctrinam accedamus, inibi etiam logices utilitatem subsignatam inueniemus. Iacob patriarcha scalas ab imo solo ad cœli summũ protensas uidit, multorum graduum serie distinctas, fastigio Dominum insidere, angelos per eas ascendere: Si Angelorum more ad Deum ascendere uolumus, necessarium est, ut per gradus illos ascendamus: Primus itaq; moralem philosophiam designat, non enim decet animum uitijs inquinatũ attingere sacra: deinde dum per moralem philosophiam purgatus est, ad secundũ, idest, ad logicen accedemus: ex quo ad altiores gradus, & philosophiæ partes ascendentes, tandem ad Deum ipsum deuenimus. Gen. cap. 28.

Demum, ut omninò aduersarijs obturatur os, inductione facta in singulis facultatibus, uideamus, An cuilibet logica præbeat utilitatem? Siquis Grammaticus esse desiderat, hic sciat, quòd grammaticæ logica maximè conducit: utitur etenim grammatica logicis instrumentis, sicut & aliæ facultates, ut Ammonius inquit: ob quod Diuus Augustinus in libro de ordine non immeritò dicit, quòd logica grammaticam nedum diuidendo & definiendo digessit, sed etiam ac falsitate defendit. Rhetoricã etiã logicali facultate indigere, ex pluribus colligi potest: Primò nam hæc, sicut & aliæ facultates, logicis utitur instrumentis, ut Philoponus, & Ammonius cum Stoicis altercantes scriptum reliquere: Accedit ad hæc, quòd dialecticæ (quæ logicæ pars est) Rhetoricen Antistrephon Aristoteles dixit: Vnde Eleates Zeno has ita coniunxit, ut dialecticen compressæ in pugnum manus, Rhetoricen uerò explicitæ diceret similem. Demum si Rhetorica logicæ pars quædam existit (ut Ammo-

In. q. nunquid log. sit pars philosophiæ.

In prin. Prio.

In. q. nuper clato.

In prin. Rhet.

Cic. 2. de fini. & de perfe. orat.

Magenti in præfa perib: cæt.author. uide in libello de inuent. logic. Vbi supra.

nio, Simplicio, Magentino, Auicennæ atq; Auerroi placet) cui dubium quòd Rhetorica sine logica esse non potest? Idem etiam & de Poetica dicatur, nedùm etenim Auerroes, Auicenna, Simplicius, & Magentinus, sed etiam ex nonnullorum opinione Ammonius Poeticam logices partem fecit: Quinimò nedum duabus eius partibus, sed toti etiam sibi logicalis facultas maximè prodest: Non solùm etenim syllogismo, enthymemate, īductione, atq; exemplo passim utitur, sed etiam definitionem definita definitione, & demonstrationem (ut Alexandro placet) per demonstratiuum habitum Aristoteles est prosequutus. Moralem uerò facultatem, anteq; logices canones doceamur, non nisi opinando nos acquirere posse, testatur Ammonius: postq; uerò eos edocti fuerimus, demonstratiuè: Magnus etiam Simplicius moralia, quæ secundùm logicalia dogmata tradita sunt, nec demonstratiuè, nec topicè sine logices cognitione acquiri posse contendit. Siquis autem iuris prudentiæ incumbere uult, hic Fabiū legat in duodecimo institutionum oratoriarum, & addiscet qualiter iurium quæstiones ad rationalem facultatem reducuntur. Quantùm uerò ipsi philosophiæ prosit, ex diui Iamblici dicto est manifestum, quùm logicen philosophiæ spiritum appellasse dicatur: Quòd si explicatius scire uolumus, quomodo philosophiæ logica prosit, per treis eius partes discurrendo facilè cognoscemus. Si Mathematicæ facultati logica non prodesset, in quanā facultate fierent demonstrationes in primo gradu certitudinis? quòd siquis eas non ueras, sed similitudinarias demonstrationes dicat, is ad Auerroem accedat, & inueniet simpliciter demonstrationes persæpe in Mathematicis fieri: Vnde Arist. uolens

Pro hoc uide libel. de defi. log.

In præf. prædicam.

Ibidem.

Cap. 2.

2. Metaph. 16

Pri. Post. 103.

Ibidem.

probare primam figuram demonstrationi simpliciter aptissimā esse, ex eo suadebat, quia in ea Mathematicæ demonstrationes conficiuntur: Qui uerò ijs contentus non est, legat Proclum in primo elementorum Euclidis, & inueniet Mathematicum quolibet ferè uti logico instrumento. Naturalem etiam nedùm tribus demonstrationis speciebus uti, sed quamcunq; maneriem disciplinæ ad suum usum admittere, cōfessus est Auerroes. Quibus uerò logicis instrumentis utitur Metaphysicus, in principio Metaphysicalis Epitomæ abundè idem Auerroes declarat.

In præf. phy.

Quantùm etiam Medicinæ prosit, est manifestum; Nam si logica (ut uisum) philosophiæ maximè conducit, cui dubiū, quòd Medicinæ etiam magnopere proderit? Ibi siquidem Medicus incipit, ubi Philosophus desinit, ut [a] Aristoteles ait: Vnde Auerroes [b] logices ignarum à suo medicinali uolumine expellit: Et Rhazes, dubitabilis est, inquit, [c] et præcipuè in scientia Medicinæ, qui canonibus logicæ non est adiutus: Galenus [d] etiam plu ries logicæ medicinam indigere declarauit: quod ī libello, Quòd optimus medicus sit & optimus philosophus, ex ipsius etiam Hippocratis uerbis expressit. Siquis autem agricola esse desiderat, hic absq; logica hoc consequi non posse sciat: Nam cùm agricultura naturali philosophiæ subijciatur (ut Angelicus [e] doctor inquit) & naturalis, ut uisum, sine logica haberi non possit, necessariò sequitur, ut agricultura perfectè sine logica non acquiratur. At insurget aliquis, dicens, nullam harum artium exercere uolo, sed Alchimista esse desidero, nunquid alchimiæ logica prodest? Primò hic sciat, nedum tritum esse prouerbium, quòd omnis Alchimista aut mendicus, aut sophista, sed etiam Auer-

a In li. de sēs.
b In præfa. si sua est.
c Li. 6. Aph.
d In libro sup. citato cap. 7. in princ.
De temp cap. 5. in 3. artis medic circa finem: in Lib. de contin. art. c. 9
e Sup. Boet. de Trinit.

Disp. pri.

roem in suis naturalibus disputationibus Alchimiæ possibilitatem negasse. Secundò adeat Antiquissimum Morienum, & inueniet eum hæc uerba dicentem, Quicunq; hanc artem sectatur, cæteras & præcipuè dialecticam scire debet. Quòd siquis dicet, Theologus esse desidero, nunquid Theologiæ logica prodest? Dicam profectò, quòd non solùm non obest, sed quòd ei maximè conducit, Inquit enim Augustinus in secundo de doctrina christiana, Disputationis disciplina ad omnia genera quæstionum, quæ in sacris literis sunt, penetranda plurimùm ualet, tantùm ibi cauenda est libido rixandi, & puerilis quædã ostentatio decipiendi aduersarium; & in primo contra Cresconium ostendit, & Christum, & Paulum dialectica usos, & Donatistas non rationabiliter agere, quòd nollent cum ipso congredi, quia esset dialectica instructus. Adiuuat etiam Sacram Scripturam, eò quòd sapientiæ secularis errores egregiè curat, siquis ea rectè utatur: ait n. Hieronymus super EZecchielem, uerè quicquid ad terrenam scientiam pertinet, & putatur esse robustum, hoc dialectica arte subuertitur, & instar incendij in cineres, fauillasq; dissoluitur, ut probetur nihil, quod putabatur esse fortissimum. Verùm dicet quis, tota aberras uia, Nam non Theologus, sed Magus esse cupio, nunquid Magicæ facultati logica prodest? Ab hoc quæram, Cùm Magica facultas duplex sit (ut aliàs declarauimus) Naturalis; & uenefica, quam exercere uult? Si naturalem dicet, respondebimus affirmatiuè, nam cùm hæc naturalis quædam philosophiæ praxis sit, docens applicare actiua passiuis, ad mirabiles effectus producendos, & ostensum sit, logicen naturali utilem esse, cui dubium, quòd etiam magiæ

In suo chimiæ opere.

Cap. 32. 38.

In annot. sup. secr. Arist.

utius erit? Siquis autem eò dementiæ ueniet, ut dicat, Magum ueneficus esse uolo, huic dicam, quòd suæ dementiæ logica dupliciter prodest, quòad acquisitionem scilicet, & usum: quod quò ad acquisitionem, ostendo: Memini profectò olim Salerni apud quendam Nobilem manuscriptum librum casu uidisse, quē cùm inspicerem, ut Authorem agnoscerem, animaduerti titulum esse, Nicromantia Picatricis hispani quùmq; ab eo oculos auertere uellem, libri inscriptione stomachatus, hæc quasi mihi uerba ex illo sese obtulerunt, Fundamentum huius artis est Astrologia, sine ea.n.uerum experimentum fieri nequit: Quo stāte, quùm supra ostensum sit, logicam mathematicæ, & ex consequēti Astrologiæ utilissimam esse (quòd profectò Astrologorū Monarcha Ptolemæus in principio quatripartiti, atq; centiloquij patefecit) nonnè ex his clarè colligetur, eam Magiæ, quæ sine Astronomia haberi non potest, magnam opem afferre? Quòad usum etiam confert, ne ab inuocatis Dæmonibus Magus decipiatur: Nam & si ultima eorum (cùm mendacissimi sint) intentio sit inuocantes decipere (ut Ciccus AEsculanus Magus haud quidem infimæ classis inquit) consulentibus tamen (ut Monopolitanus ait) mentiri refugiunt, ut sic dicentes ueritatem palliatā, occultent eorum iniquitatem, & opinionē generent, quòd quasi Dij non mentiantur, & grauius opprimant in ultimo credentes: Vnde quùm optimi logici sint, per omneis tredecim fallacias sciunt optimè paralogizando homines fallere. Qui igitur logicā callent, fallaces Dæmonis responsiones per aliquam sophisticationem decipientes, facilè animaduertere possunt: quod si Manfredus considerasset, haudquaq; ab eo spiritu, qui Floron dicitur,

In.2.c tract. de sphera.

Decade.3.ca.5.q prima.

deceptus esset.


HAnc logices facultatem, si benignas praestabitis aures (ut spero) sum uobis professurus: quae quũ non inutilis sit, sed artibus & scientijs maximè cõducat, ut ratio probat, experientia docet, Authoritas testatur, symbolica doctrina confirmat, Similitudinaria suadet, fabulosa figurat, Sacra subindicat, & inductiua manifestat, ad hanc uos hortor, exhortor, atq; impello: Est n. (ut Augustinus ait) ars artium, & scientia scientiarum, quae exurientes pascit, sitientes reficit, mutos loqui facit, linguam balbutientium surgit, animamq; rationalem ad alias scientias disponit: Nec immeritò, quùm omnium entium ueritatem instituere doceat, ut Auerroes inquit: canones siquidem hac in facultate traditi sunt, ex quibus intenditur producentus uerae scientiae, qua substantificamur, & peruenimus ad nostram ultimam perfectionem: & haec scientia est scientia, qua homo fit similis excelso & benedicto Deo, secundùm quantitatem, qua eius natura patitur, quòd illi similes fieri possimus.

In sua logica.

In praef. post.

Auer. in q. 10

LECTIO TERTIA.



Vùm in altera lectione logicẽ artibus & scientijs utilissimam esse probauerimus. consequens iam est, ut rationibus in oppositum adductis satisfaciamus.

Prima Principalis ratio deletur.

Ad primam quùm arguitur, logicae finis est uanus, ergo

omnia considerata in logica uana sunt, Negatur assumptum: ad probationem dicimus, quùm treis habeat partes, quarum prima definitionem, secunda demonstrationem, tertia utrunq; instrumentum simul demoliri conatur, Nos omnibus tribus sigillatim respondere debemus; & primò ad primam, quæ aduersus definitionem erigitur, hoc pacto.

Prima pars probationis assumpti primæ rationis definitionem impugnans euertitur.

OMNIS Definitio constat ex genere; Nulla datur oratio, quæ constat ex genere, igitur: Negamus minorē: quùm uerò instatur, Nam quod ponitur loco generis, genus non esse probatur, dicimus hoc esse falsum: Ad primum argumentū hoc probās, quod erat, si quod ponitur loco generis esset genus, non destrueretur ad destructionem unius speciei, sed destruitur, (ut cōmutata proportio docet) igitur: Negatur destructio consequentis: nec argumentum à commutata proportione cogit, quùm in consequentia fiat: uno etenim logicorum omnium ore, ad hoc ut hic arguendi modus robur obtineat, necesse est, ut inter cæteras conditiones adsit hæc, ne scilicet in consequentia exerceatur.

Vt autem ad secundam facilè responsio percipiatur, annotandum, quòd cùm peripatetici uniuersale separatum præter singularia minimè existere ponant, hinc genus in speciebus, & species in indiuiduis habent esse: ex quo sequitur, quòd si corrūpitur Socrates, homo qui realiter in Socrate reperitur, necesse

7. Metaphys. 57.
In Epit. logic. cap de subst.

etiam est ut corrumpatur, & si homo, animal etiam quod in homine fundatur; Ad quod Aristoteles respiciens, dixit, uerum genus, ut animal, ad speciei, ut puta hominis, permutationem necessariò permutari; non. n. possibile est, hominem non esse, & animal, quod in homine reperiebatur, remanere; idem enim animal homo foret, atq; non homo (quod quidem absurdum Aristotelem negantem particularem priuatiuam conuerti, sequi uidetur) nõ autem dixit, quòd ad unius speciei peremptionem necesse est, ut totum genus perimatur, adeò quòd si homo permutatur, & non est, nec etiam animal omninò sit: Quo stante, quùm arguitur, si quod ponitur loco generis, esset genus, id ad speciei permutationem permutaretur: Respondemus quòd concedimus hoc: cùm autem obijcitur contrà, nam cùm genus uniuersalius sit, ad speciei negationem negari non potest, dicimus quòd ex eo quod annotauimus, obiectionem hanc extra propositum esse apparet.

De conuersione hac aduersus Arist: uide primum cap. nostræ decad.

Ad Aristoteleam authoritatem ex libris de anima desumptam dicimus, quod dum dialecticas definitiones uanas appellat, non intelligit per dialecticas, definitiones, per dialecticos canones cõstitutas, sed non naturales (ut Simplicius, & Philoponus affirmant) quæ, cùm rei naturam minimè complectantur, sed ad gloriam respiciant, dialecticæ uocantur: Sunt autem hæ (ut Auerroes ait) per quas accidentia non cognoscuntur, aut quia in eis collocatur aliquid falsum, aut quia componuntur ex caussis remotis, aut accidentalibus.

Secunda

Secunda pars probationis assumpti primæ rationis demonstrationem euertens, diluitur.

DILVTIS Rationibus, quæ definitionem demoliri uidebantur, iam ad eas diluendas accedamus, quæ aduersus demonstrationem diriguntur: Ad primam, cùm dicitur, conclusio demonstrationis simpliciter potest falsificari, negatur hoc: cùm uerò subditur, quòd possibile est passionem, quæ concluditur, separari à subiecto, absq; hoc quòd subiectum corrumpatur, hoc inficias imus; ad probationem, dicimus quòd cùm subtiles duplex unum agnoscant, unum scilicet unitate unionis, & unum unitate idemptitatis; assumptum illud, si duo facientia magis unum ad inuicem separantur, ergo & facientia minus unum, uerificatur de facientibus magis unum unitate idemptitatis, non autem unionis, & sic falsa est minor: Materia etenim & forma etsi faciant unum magis unum unitate unionis, q̃ subiectum & passio, non tamen faciunt magis unum unitate idemptitatis. Secundò respõdemus, quòd si facientia magis unũ separantur sic quòd alterum remaneat, quòd etiam & facientibus minus unum competat hoc: Concedimus etiam quòd materia & forma faciunt magis unum, quàm passio & subiectum: Quando uerò subditur, quòd sic se habent, quòd altero (utputa forma) corrupto, alterum (ut materia) remanet, hoc quidem negamus: inter siquidem naturalem & artificiosam formã hoc discrimen ab Auerroe ponitur, quòd artificialis forma sublata, non aufert materiam, quod facit ipsa naturalis: Quòd si primo physicorum dici uideatur oppositum, ibi de prima materia, non

In. 2. senten. dist. 12. q. 1. in Resp. ad primum.

2. de anima 8.

82.

autem de secunda, quæ pars compositi existit, philosophum loqui dicatur.

Ad secundam, cùm arguitur, Demonstratio Mathematica est falsa, ergo & quæuis cuiuscunque facultatis: Ne acerrimam quæstionem de certitudine mathematicarum scientiarum aggrediamur, negamus antecedens: Ad probationem duplicem responsionem assigno: Vt autem prima intelligatur, unà cum

In opusc. 49. Angelico Doctore est annotandum, aliud esse considerare rem aliter quàm est, & aliud considerare rem esse aliter quàm est: Considerare rem aliter quàm est, non est consideratio falsa, bene tamen considerare rem esse aliter quàm est, exempli gratia, homo specificus non est sine indiuiduis, potest tamen considerari per suum genus & differentiam in sua communitate non apprehendendo indiuidua, & sic consideratur aliter quàm est, non tamẽ falsè: Aliud exemplum magis ad propositum accedens: Mathematica quia considerat triangulum existentem in materia sine materia, considerat rem aliter quàm est, non tamen est consideratio falsa, quia non considerat triangulum esse sine materia, Etsi consideret eum ut est figura plana tribus lineis contenta, non considerando materiam. Ad argumentum igitur concessa minori, quòd scilicet Mathematica considerat rem aliter quàm est, negatur maior, quòd scilicet considerare rem aliter quàm est (ut uisum) sit consideratio falsa: Nec definitio falsi eam probat, cùm considerans rem aliter quàm est, nec rem dicat esse quæ non est, nec quæ est non esse, quod est definitio falsi. Quòd

In 2. tracta. Epito. Metaphy. fol 174. col. 2. si opponatur authoritas Auerrois dicentis, quòd uerum est illud quod sic est in mente, sicut est extra mentem, Dicimus eam

contra prædictam responsionem non militare: Mathematici enim dictum, Triangulus est figura tribus lineis contenta, Verissimum est; sicut enim est in mente, sic etiam cum iisdem est extra mentem, licet à Mathematico non consideretur cum materia & alijs appēdicibus eius, quas habet extra mentem. Secundò principaliter ad hoc respondere uidetur Auerroes, dum ait, Ibidem.
"Et dicamus quòd si falsum sit id quod est in intellectu, alio modo quàm est extra, ut intelligi potest ex opposito definitionis ueri. Hoc quidē potest considerari uarijs modis (scilicet quòd res sit in intellectu aliter quàm est extra intellectum) Vno modo quòd res habeat esse inquantum est in intellectu tantùm, præter hoc quòd habeat esse pœnitus extra intellectum, & hoc manifestè uidetur subingredi definitionem falsi & contineri sub eo. Secundò quòd talis res habeat esse extra intellectum, sed accipiatur in intellectu, alio modo quàm sit extra intellectum; & hoc etiam potest considerari dupliciter: Vno modo, quòd id quod ponitur esse in intellectu sit secundùm compositionem illorum subiectorum, quæ extra intellectum & attributionem unius ad aliud, sed non eo modo quo se habent in se: Huius autem rei falsitas nulli dubia est, & quòd continetur sub definitione falsi, ut Hircoceruus, & conceptus uacui, & reliqua quæ intellectus intelligit, & componit, ab eo quòd non inuenitur extra animam, in tali modo compositionis. Secundo modo, quòd extra animam inueniantur res diuersarum essentiarum, quæ sibi inuicem habent esse, & sunt immixtæ simul, et intellectus separat illas essentias ab inuicem, & aggregat illas quæ sunt inter se similes, & admiscet eas, & separat eas à rebus quæ inter se differunt, adeò

Pri. modus
Secundus.
Tertius.

,, quòd intelligit naturas rerum separatarum iuxtà ueritatē suā.
,, Hoc autem neque est ullo pacto falsum, neq; continetur sub de
,, finitione falsi, et iuxtà hunc modū abstrahit punctū à linea, et ī
,, telligit ipsum, licet non inueniatur nisi in linea, & ipsam lineā
,, quoq; à superficie, & superficiem à corpore. Et tandem iste
,, est modus, quo nos possumus intelligere omneis res existentes in
,, alijs Et paulò post, Quando ergò accipitur in definitione falsi,
,, quòd est id, cuius esse extra intellectum est aliud q̄, quòd ī intel
,, lectu, non comprehendit hoc: Et sic definitio ueri non prohibet
,, uniuersalia habere istud esse: quia illæ dictiones, quæ accipiun
,, tur in illis definitionibus, sunt de nominibus æquiuocis, Videli
,, cet quùm dicimus in definitione falsi, quòd est extra intellectū,
,, alio modo, q̄ in intellectu, & in definitione ueri, quòd habet esse
in intellectu, eo modo, quo extra intellectum. Ad propositum igitur applicando, dico quòd quùm cōsiderare rem aliter q̄ est, non uideatur aliud esse, q̄ rem esse in intellectu aliter q̄ est extra, quùm in maiori dicitur, considerare rem aliter quàm ē, est considerare falsum, dicimus, quòd considerare rem aliter quàm est, potest esse tribus modis, sicut etiam rem esse in intellectu aliter quàm ē extra, est tribus modis, ex quibus primus & secundus ingrediuntur definitionem falsi, non autem tertius, quo pacto Mathematici considerant rem aliter quàm est. Maior igitur illa propositio uera est primo & secundo modo, quo modo minor est falsa, quùm uerificetur tertio modo.

Ad Tertiam concedimus, quòd si demonstratio est, demonstratio est syllogismus, Demonstrationem autem syllogismū non esse negamus: ad probationem quùm dicitur, finis rei non præ-

dicatur de re, sed syllogismus est finis demonstrationis, igitur, negamus minorem: Ad authoritatem Aristotelis (omissa Simplicij expositione) unà cum Philopono respondemus. quòd Aristoteles dixit, demonstrationis finem esse syllogismum, syllogismum ipsam conclusionem appellans: quamobrem postq. dixit syllogismum, interpretans adduxit, uel conclusionem, uelut alterũ pro altero dicens: Verùm quia Auerroes non exponit syllogismũ. i. conclusionem (ut Philóponus) sed inquit, demonstrationis finem esse syllogismum, qui fit ex propositionibus, et conclusione: ob hoc, ut Auerrois etiam sectatoribus fiat sátis, aliam expositionem assignantes dicimus, quòd uolens philosophus declarare demonstrationes finem determinatum habere, ad quem procedũt, dixit, talem finem esse syllogismum, aut conclusionem: Nam (ut Magnus inquit Albertus) si concludantur ultimæ cõclusiones, tunc est status in eis, & sic demonstrationis finis est ipsa conclusio, si uerò non concludentur ultimæ, tunc finis talium non erit ipsa conclusio, sed (ut Auer. ait) syllogismus, qui ex propositionibus, et conclusione conficitur: Nam tunc conclusio sumetur in alio syllogismo pro præmissa, et adiũgetur aliud mediũ, et alia maior extremitas, et concludetur alia conclusio. Esto igitur, quòd hic particularis syllogismus præcedentis demonstrationis finis sit, de eaq; in recto non prædicetur, non tamen ob hoc, syllogismũ simpliciter demonstrationis ĩ genere finem esse, ideòq; de ea in recto non prædicari conuincitur.

Mira authoritas ꝙ conclusio sit de essentia cuius oppositum pluries, & precisè in Epit log. cap. de sillog. contradictione.

in expos. huius loci.

Tertia pars probationis assumpti primæ rationis, definitionem & demonstrationem simul eneruans diluitur.

AD Argumentum autem, quod demonstrationem, & definitionem simul perimere uidebatur, respondeo concedendo consequentiam, quòd scilicet si demonstratio & definitio sunt aliquid, sunt sonus, hoc autem consequens falsum esse omnino nego: ad probationem, quùm dicitur, Pars soni est sonus, Pars definitionis, uel demonstrationis non est definitio, uel demonstratio, igitur, negatur modus arguendi, illo siquidem Aristotelem usum non inuenio, allegato etenim in loco non illud argumentum, sed in tertia syllogismum conficit hunc, Pars circulationis non est circulatio, pars circulationis est tempus, tempus igitur non est circulatio: Sunt enim Aristotelis uerba hæc, Atq; circulationis etiam pars, tempus quoddam est, circulatio autem non: quibus in uerbis prædicti syllogismi minorem primò, maiorē secundò manifestissimè ponit. Secundò dato quòd eo argumento Aristoteles fuerit usus, adhuc negarem modum arguendi, quo formatur obiectio, quùm sit ualdè ab illo diuersus: Aristotelis argumentum constat ex maiore negatiua, & minore affirmatiua, qui profectò modus uerum concludit, at obiectio procedit opposito modo, quo falsum colligitur: Declaro, Arguit Aristoteles ex maiori negatiua, sic: Pars circulationis non est circulatio, pars temporis est tempus, ergo tempus non est circulatio: At si argueret ex maiori affirmatiua sic, Pars temporis est tempus, pars circulationis non est circulatio, ergo circulatio non

est tempus, cócluderet falsum: Similiter si arguatur, Pars anni non est annus, pars temporis est tempus, ergo tempus non est annus: Pars hominis non est homo, pars substantiæ est substantia, ergo substantia non est homo: Pars trinitatis non est trinitas, pars quantitatis est quantitas, ergo quantitas non est trinitas. Omnes hæ & consimiles argumentationes ex maiori negatiua procedentes uerum concludunt: At si procederent ex maiori affirmatiua, falsum concluderent, utputa: Pars temporis est tempus, pars anni non est annus, ergo annus non est tempus, & sic de reliquis. Ad propositum igitur, quùm arguitur, Pars soni est sonus, pars definitionis uel demonstrationis non est definitio uel demonstratio, ergo definitio seu demonstratio non est sonus, Nego modũ arguẽdi, quia est ex maiori affirmatiua, modus aũtem, quo Aristoteles utitur, est ex maiori negatiua: Vnde si arguatur: Pars definitionis, seu demonstrationis non est definitio seu demonstratio, pars soni est sonus, concludetur & uerè, ergo sonus non est definitio seu demõstratio, quod non est contra nos. Tertiò dato, quòd ambo hi arguendi modi inter se non differrẽt, aliam responsionẽ assignare possemus: Vt autem clarè intelligatur, Notandum, quòd propositio hæc, homo non est substantia, dupliciter intelligi potest, Vno quidem modo, quòd substantia nullo pacto prædicetur de homine, & sic est falsa, Alio uerò modo, quòd homo non est idem definitione cum substantia. & sic est uera:, Ad rem uolebant antiqui, tempus idem esse definitione cum circulatione, seu conuersione uniuersi: Contrà arguit Aristoteles argumento pluries superius adducto, concludens, ergo tempus non est conuersio .i. tem-

pus & conuersio idem definitione non sunt; similiter si argua tur, Pars substantiæ est substantia, pars hominis non est homo, concludetur, ergo homo non est substantia, non quòd substantia non prædicetur de homine, sed quòd homo non sit idem defini tione cum ipsa substantia. Ad propositum, Pars soni est sonus, pars definitionis, uel demonstrationis non est definitio uel de monstratio, ergo definitio, uel demonstratio non sunt sonus. i. nõ sunt idem definitione cum sono, non tamen exinde sequitur, quòd sonus de definitione uel demonstratione non prædicetur: quod, ad hoc ut utraq; perimatur, erat probandum.

LECTIO QVARTA.

Ad secundam rationem principalem.

In lectione hesterna tota prima ratio principalis abundè exa minata fuit, Consequens iam est, ut ad alias dissoluendas acce damus.



D Secundum principale nega tur antecedens, quòd scilicet lo gices subiectum sit omnino nihil: Ad interrogationem, est ne de pendens uel non dependens? Di co, quòd est ab aliquo dependen tia quadam dependens, quã pro nunc (ut rationem nihil conclu dere ostendam) ens rationis dicimus esse: Cùm uerò queritur, hoc aliud ens rationis est ne dependens, uel independens? Dico

quòd

quòd est dependens: cùm uerò arguitur, ergo dependentia quadam alia dependet, & sic in infinitum, negamus hoc: Vt autem negationis caussa intelligatur, notandum, quòd si argumentum hoc concluderet, nedũ ens rõnis, sed forsan quodlibet ens factũ aboliretur: Posset enĩ argui sic, siqđ esset factũ, factione quadã esset factũ, tunc quæro de factione illa, aut dependens, aut independẽs? non independens, quia esset Deus, nec dependens, quia depẽdentia quadã alia depẽderet, et sũc quæreretur de illa, et sic in infinitum: Ne autem hoc sequatur, dicendum, quòd ens dependens dicitur esse duplex, ut quod, & est id quod primò dependet, & ut quo, & est caussatio, seu factiò uel (ut uniuersalius loquar) dependentia illa qua primò dependens ab aliquo dependet. Ens itaq; dependens, ut quod, dependet dependentia quadam, at ens dependens, ut quo, non est necessarium ut alia dependentia dependeat, sed tantùm est id, quo primò depẽdẽs ab aliquo dependet. Tunc ad propositum, dico quòd ens rationis est ens, primò ab intellectu et obiecto, uel à collatione facta ab intellectu inter primò intellecta, dependens, & ideò dependentia quadam dependet; quæ dato quòd sit ens rationis dependens, cùm sit dependens ut quo, proprium ens rationis primò dependet, non est necessarium, ut alia dependentia dependeat, adeò quòd fiat processus in infinitum.

Ad Auerrois authoritatem dicimus, quòd obtruncatè allegatur; nam quùm Aristoteles dicat, ens etiam dici de ijs, quæ negant, per negationes, seu per ea quæ negant (iuxta Arabici textus lectionem) Auerroes non intelligit priuationes, quæ omninò nihil sunt, sed negationem, & affirmationem, quæ ratio-

nis entia sunt; & per haec duo, omnia secundò intellecta, de qui bus logica pertractat: Vnde Auerroes uult Aristotelem dixisse, ens significare non solùm substantiam, & quae ad eam habitudinem habent. i. ens reale, sed etiam negationes. i. negationē, & eius oppositum affirmationem. i. sed etiam secundò intellecta, de quibus logica speculatur, quae quidem per negationem et affirmationem (quae secundò intellecta sunt) hic significantur: ait. n. deinde dicit (aut quia negant, & caetera) .i. quoniam quemadmodum hoc nomen, ens, dicitur de omnibus istis modis, ita etiam dicitur de affirmatione & negatione, & intendebat per hoc, quòd hoc nomen, ens, dicitur de primis intelligibilibus, & secundis, & sunt res logicae.

Ad Tertiam.

AD Tertium, ut omittamus Alexandrum asserentem locum illum potius uideri probabilem, q̄ uerum, nam etsi exerceri, diuitias habere, bibere, comedere; dormire, calefieri, atq; coire, bonum, non tamen magis: atq; ut omittamus Alberti, atq; Auerrois glossas, quibus locum illum uerificari opinantur: Respondemus concedendo, quòd maior logicalis cognitio ad philosophiam comparandam magis utilis est: ex hoc uerò necessariò sequi, quòd magis peritus in logica, sit peritior ī philosophia, prorsus īficias imus: Nā si logicalis cognitio sic ad philosophiā utilis esset, ut dum addiscitur logica, addiscatur etiam ipsa philosophia, certè sequeretur, si maior logicalis cognitio est magis utilis ad philosophiam, quòd peritior in logica sit peritior in philosophia: At quùm logicalis cognitio eatenus ad philosophiam acquirendam conducat (Vt primo Topicorum philosopho placet) Cap. 9.

quatenus instrumenta edocet, quibus purus logicus non est philosophus, sed aptus ad philosophiam, cui dubium, quòd ex hoc antecedente, maior logicalis cognitio est magis utilis ad philosophiam, est inferendũ hoc consequens, ergo peritior in logica est aptior ad acquirendam philosophiam, non autem hoc, quòd peritior in logica, sit peritior in philosophia? Esto igitur, quòd uideamus peritiores logicos prorsus philosophiæ ignaros, non tamen ob hoc dicendum est, hos non esse aptiores ad philosophandum ijs, qui minus periti in logica existunt: quòd si ij philosophiam ignorant, non est, quia ad eam addiscendam minorẽ aptitudinem habent, sed quia logicali cognitione contenti, logices lumina aut non exeunt, aut oscitanter quidem: quòd si ex logica ad sacræ philosophiæ abdita rimanda diligenti cura transirẽt, nulli dubium, quòd sicut alios in logicali facultate, sic etiam in philosophia longè superarent. Quod ab excellentissimo BERNARDINO THOMITANO Factum esse uidemus, quam n. aliam ob causam Diuinus iste uir, nedũ Moralis, Mathematicus, Naturalis, atq; Metaphysicus Philosophus factus est summus, sed etiam Medicus, ac Theologus euasit eximius, nisi ob hanc, quia utranq; rationalis facultatis partem in Almo Patauino Gymnasio profitendo (quum ad illum logices apicem ascendisset, ad quem paucis ante ipsum ascendere licuit) hac summa logicali cognitione minimè contentus, ad intima aliarum facultatum se dedit? Quòd si inter logices lumina deguisset, tot bonarum artium (ad quas amplectendas, ob maximam logices peritiam, erat aptissimus, quibus iam est stipatus) prorsus esset ignarus.

Ad id uerò, quod de Auicenna obijcitur, respondemus fiducialiter primò, Auicennam in alijs à dialectica, ideò errasse ab Auerroe scriptum, quia noluit in his Aristotelem sequi, sed incepit quasi à se: profuit autem logicalis cognitio Auicennæ: Nã si à logicis regulis, quas Aristotelem imitando didicerat, nõ fuisset adiutus, in ijs, in quibus noluit eum sequi, multò plures commisisset errores: Quòd si Aristotelis uiam in philosophicis sequi, sicut in logicis, dignatus esset, nulli dubium etiam quòd in his, logicis regulis directus, multò minus errasset.

Illud etiam hic prætereundum non esse arbitror, quòd ex illo Auerrois dicto, Auicenna non imitatus est Aristotelem nisi in dialectica, sed in alijs errauit, non est eliciendum ad Auerrois aures, Auicennam perfectum logicum fuisse, ut falsò quidã imaginatur: De Auicenna siquidem alibi Auerroes hæc scripta reliquit, Et maior pars libri sufficientiæ philosophiæ huius uiri est contexta, ex talibus sermonibus peruersis, tam in logicis, q̃ in alijs, & qui uult initiari in his artibus, expedit ei, quòd fugiat eius libros, nam illi faciunt errare hominem, et extrahũt ipsum à recto potius, q̃ ipsum dirigant & ordinent ad ueritatem. Vt igitur illud Auerrois dictum intelligatur, atq; ijs Auerrois uerbis, quæ iam adduximus, haud quaq̃ contradicere patefiat, supponimus ultra paruam exercitationem in naturalibus, duo alia in caussa fuisse, ob quæ Auicenna sæpissimè in graues errores detrusus est: unum, quia ĩ omnibus eius libris cõtra Aristotelem dubitat, & in suo sermone proprio ingenio confisus dicit id quod ei uidetur, unde Auerroes ait, Et ideò nullus est debilioris speculationis ex hominibus, uel minoris gradus ĩ gra

Zimara in cõtrad. sup. 2. 8. Phys.

In Q. 8.

Tertio. c. 67.

In fine Q. 5.

du scientiæ, quàm ille qui firmat dubitationem super ipsum, dicens in suo sermone illud, quod ei uidetur, & maximè quùm illud non uideatur alicui antiquorum, ut inuenimus Auicennam fecisse hoc, Omnes enim libri eius quasi sunt dubitationes super istum uirum: Aliud & peius, quia declinauit à doctrina Aristotelis, & processit alia uia eius quòd fecit in naturalibus, & in Metaphysicis: Vnde Auerroes inquit, & deterius quòd hic nouus fecisset, est deuiare à sua disciplina, & progredi alio itinere præter suam uiam, ut contingit Alpharabio in suo libro logicæ, & Auicennæ in scientijs naturalibus, & diuinis. Esto itaque quòd Auerroes dicat, Auicennam in dialectica Aristotelem imitatum, non tamen ob hoc eum optimum logicum fuisse conuincitur: nam etsi in dialectica quò ad uiam & modum procedēdi Aristotelem sequutus sit, ob primam tamen caussam, iam declaratam sæpissimè in pueriles errores lapsus est: quando autem subdit (Sed in alijs errauit) non uult dicere, quòd in alijs à dialectica tantùm errauit, non autem in ipsa dialectica, sed quòd in alijs à dialectica non solùm ob primam caussam, sed etiā quia incepit quasi à se, derelinquens uiam, qua processit Aristoteles, quæ secunda est caussa, & grauior suorum errorum, errauit magis scilicet, & maximè in Metaphysica. Sed quorsū hæc? Vt ad id, quod de Auicenna opponebatur per instantiam, Secūdam responsionem assignantes, dicamus, quòd Auerroes in philosophicis Auicennam uituperat, non tamē in dialecticis laudat (ut falsò obyciebatur) sed minus improbat.

ibidem.

Esto autem domini, quòd Auerrois uerba sic explanata, nec Auicennā optimum logicum dicant, nec Auerroem sibimet

pugnantem faciant: nihilominus quandam aliam pati uidentur contradictionem; quæ etsi à nostro proposito aliena sit, tamen quùm in hæc uerba inciderimus, Vt eam uobis dissoluant ij, qui se summos Auerroistas esse iactant, paucis illam significabo.

3. de anim. 30. Si in alijs à dialectica, ab Aristotelis uia deuiasse, atq; propria

Q. 4. processisse, caussa fuit, ut Auicenna in eis maximè errauerit, & grauior quidem, q̃ ea quæ à nobis primo loco est assignata:

Eodem. Q. quùm hoc contigerit Alpharabio in suis logicis libris, nonnè consequens est, hunc etiam ĩ logicis maximè errasse? quod si uerum est, quomodo alibi de eodem Abunazar, Alpharabio Auerroes

Q. 13. ,, hæc scripsit? Totum autem hoc significat, quòd liber Abunazar de demonstratione nondum fuerit completus: Nam potius putandum est hoc de Abunazar, quàm quòd sit putandum, quòd latuerint eum hæ res, ob illius peritiam circa hanc artem.

AD QVARTAM.

VT Autem ad quartum respondeatur, notandum, quòd logica ratio pluribus modis intelligi potest. Primo quidem modo, quia secundùm logicos canones est constituta, & sic quælibet in qualibet facultate est logicalis, ut sic ratio Melissi est magis onerosa, quia non est logicalis ad hunc sensum, quia in logica peccat. Secundò logicalis ratio dici potest, quia actu exercetur in logica, & sic omneis rationes in logica confictæ appel

Pri post. 152. pri. phys. 35. 8 phys. 70. 7. Metaph. 2. In. 2 tract pas raph. Metap. à princ.

lari possunt logicales. Tertiò aliquando dicitur ratio logica (ut Auerroes inquit) quãdo præmissæ sumuntur ex arte logicali: ijs. n. quæ in logica arte declarantur, duobus modis utimur (ut idem Auerroes ait) uel scilicet ex eo, quòd sunt instrumenta, et methodi, & regulæ dirigentes intellectum, & custodientes

ipsum ab errore, & hoc est proprium officium illorum, uel ex eo, quòd accipiuntur illæ res, quæ ibi fuerunt declaratæ tanquam pars artis demonstratiuæ, & utuntur illis in alia arte tanquam præsupposito, & radice supposita eo modo, quo solent artes demonstratiuæ communicari in hoc, quòd aliquæ earum utuntur eo, quod in alia scitur per demonstrationem. Quartò logicalis ratio dicitur (ut Philoponus etiam ad mentem Alexandri testatur) ea quæ ex suppositione procedit, licet quòd ex proprijs conficiatur. Quintò logicalis ratio dicitur quæ ex ueris, non tamen proprijs propositionibus procedit: hoc profectò Philoponus primo Posteriorum, hoc Simplicius in tertio Physicorum, hoc Auerroes i. primo de cœlo testatus est: quod etiam Aristoteles in secundo de generatione animalium affirmat, dum ait, logicam appello demonstrationem, quia quò uniuersalior, eò remotior proprijs principijs est: Et demonstrationes ex talibus constantes uocat inanes. Quinimò rationem ex probabilibus procedentem logicalem dici, Simplicio placet, diuersum logicalis rationis modũ hunc à superiori facienti. Demùm logicalis ratio nuncupatur, ea, quæ etiam ex falsis procedit, siuè falsum illud sit probabile, siuè improbabile: quòd.n. ratio ex falso, probabili tamen, confecta, logica dicatur, testis est Simplicius in tertio Physicorũ, quũ dixit: quam quidem uocat logicam, uel ut quæ in sola ratione haberet probabilitatem, et non à rebus ipsis confirmaretur: ita.n. dicuntur Zenonis rationes, quæ motum tollunt probabiliter. Quòd etiã ex falso improbabili ratio constituta, logica nuncupetur, uidetur ab Auerroe colligi, cùm duodecimo diuinorum dixit, & intelligit per logicam hic considerationem, quæ fit ex

Hunc. 2. modũ usus etiam fo- rit in Q. 13.

Pri. Poste. suo com. 58.

Vbi sup. Suo com. 18. 70: " " " Cap. 6. Vbi supra.

4

propositionibus non conuenientibus: propositiones enim falsæ quædam sunt conuenientes. & quædam non: Vbi per falsum, conueniens & inconueniens, probabile & improbabile falsum Auerroem intellexisse dicunt.

CVM Igitur logicalis ratio dicatur multipliciter, Primò, quæ est per logicos canones constituta: Secundò quæ actu exercetur in logica: Tertiò habens propositionem logicalem: Quartò quæ est ex suppositione: Quintò quæ ex remotis, uel communibus: Sextò quæ est ex probabilibus. Septimò quæ est ex falso apparente, uel non apparente: Cùm graues quidem uiri sermones logicos extraneos, & philosophiam ex his compositam extraneam dicunt, rationesquè logicas inanes; si intelligerent de ratione, quæ logica dicitur, primo uel secundo modo, nulli dubium, quòd logices dignitati derogarent; Sed cùm tales logicas dicant, Vno ex tribus ultimis modis, uel quia scil: sunt ex remotis, seu communibus, uel probabilibus, uel falsis; Cui dubium, quòd logices facultati minimè detrahunt?

AD. QVINTAM.

IN Historicis commentarijs scribit Caristius, à Lysimacho exactos toto regno philosophos Domitiano Imperante, senatus consulto, philosophi eiecti atq; urbe, & Italia interdicti sunt, nullo quidem crimine alio, nisi quòd philosopharentur. Sicut autem hoc, non philosophiæ uanitatem, sed eijcientium temeritatem ostendit; sic dici posset, quòd Athenienses si logicales libros comburi iusserunt, non logices inutilitatem, sed suam improbitatem patefecere. Nec mirum esset, eos inutiles logicæ libros sæuisse, Nam innocentissimum Socratem succo cicutæ

Aul Gell. lib. 15 cap. 11

subsluleruni

subsluerunt: substulissent etiã, & Aristotelem, ni ĩ philosophiã bis eos peccare non patiens, in chalcidem secessisset. Sed alia fuit causa ob quam Protagoræ libros Athenienses comburi iusserunt, quàm ea, quæ dicit, quia logicales erant: Cùm enim Athenis fuisset Protagoras, ideoq; Deum esse in suis libris negaret, non immeritó eos cremandos Athenienses statuerunt, ut ĩ Protagora Laertius, & in secundo de finibus, Cicero testatur.

AD SEXTAM.

Diuinum Platonem logicen inutilem aut garrulitatem quandam ex animo haudquàq; appellasse, dicato etiam capite aliàs demonstrauimus.

AD SEPTIMAM.

ET Si cauillationes atq; sophisticas importunitates logica doceat, non tamen ob hoc inutilis uel noxia dici debet, cũ eas (ut Alexander inquit) non ad usum sed ad fugam explanet: Vnde Philoponus ait, edocet autem nos & sophisticum syllogismum in sophisticis elenchis, uelut auxiliare pharmacum nobis exhibens ad euitandas (ut ipse dixit) sophisticas importunitates: quemadmodum & medici de uenenis tractant, non ad usum, sed ad fugã: Nemo.n. suspicetur (sicut multi reputãt) haberi syllogismorum sophisticorum apud philosophos rationem, ludentium enim magis quàm studentium est huiusmodi species syllogismorum, ut omne excedens maius est excesso, terrã olus excedit, est ergò maius terra: Quinimò magis redargutionem eiuscemodi decipularum, in illis nobis tradit Aristoteles, unde nec inscriptum est uolumen, de sophisticis elenchis, sed sophisticæ redargutiones: Quòd siquis artis finem peruertens, ea quæ

In præfat: rio.
In præfat. poster.

Aristoteles docet ad fugam, conuertere uult ad usum (quod hæretici, ut falsa dogmata inducant, facere solent) dicimus profectò, quòd hoc non artis, sed arte abutentis uitium existit, sicut etiam siquis uenenis quæ à medicis docentur ad fugam, uteretur, hoc nō medicinæ, sed medicinali cognitione abutentium, prauitatem ostendit.

AD OCTAVAM.

AD Auerrois autem authoritatem, quæ in logica fomentum quoddam uoluptatum esse, innuere uidetur; dicimus quòd per dialecticos, seu logicos, quidam Poetas & Oratores intelligunt, alij uerò sophistas, nonnulli autem opinantes tantùm, & nihil profundè resolutèq; scientes: quam quidem expositionem. Pauli translatio confirmat: Hæc siquidem non dialecticis, ut antiqua, non his qui arti logicæ se tradunt, ut translatio Mantini, sed illis qui modicè speculationem attingunt, illud accidere dicit.

AD NONAM.

ESTO Quod multi pro suis hæresibus tuendis, aduersus ueram christianam religionem logicali facultate sint abusi, non tamen ob hoc, pro eius defensione, logica uti non debemus: Neque enim pro patria (ut Diuus Augustinus inquit) non est miles armandus, quia contra patriā nonnulli arma sumpserunt; aut ideò uti non debent boni doctiq; medici medicinalibus ferramentis ad salutem, quia ijs ad perniciem etiam indocti pessimiquè abutuntur.

In primo contra Cresconiū

AD VLTIMAM.

AD Id uerò quod ex decretis opponitur, dicimus, quòd sicut

metallorum effossor aurum ex aurifodinis colligere potens, si nõ ˉctu diùque in argentifodinis uersatur, stultus habetur, non qˉ est inutile quod colligit argentum, sed quia eo contentus, aurũ quod multò maioris ponderis est, prætermiſtit: sic etiam Hieronymus Christianus, atq; sanctissimus homo, diuinum sacrarum literarum studium præ oculis habens, dixit, In uanitate sensus, & obscuritate mentis ingredi, qui diebus ac noctibus dialectica arte torquentur: Non quia dialecticam facultatem uanam atq; inutilem putat, sed quia dialectica inquisitione (etiam quòd utilis sit) detenti, uelut sensu menteq; capti, multò maius bonum non animaduertẽtes, Diuino sacrarum literarum studio priuantur. Dialecticos autem quosdam de asini umbra toto uitæ tẽpore sophisticis importunitatibus digladiantes (quod non artis, sed arte abutentis leuitatẽ ostendit) à Poetis meritò irrisos, uelut logicæ dignitati minimè derogantes, haud ægrè ferendũ.

LECTIO QVINTA.



ONCLVSO Logicen ad artes & scientias comparandas utilissimam esse, dissolutisquè rationibus, quæ oppositum suadere uidebantur: Ad hoc ut huic negotio finem imponamus, tribus dubitatiunculis circa hanc materiam, nobis sese offerentibus satisfacere debemus. Quarum prima est Cùm utile dicatur esse duplex (ut Ammonius inquit) necessarium & non necessarium, logica artibus & scientijs acqui- In princ. exposit. prædic.

rendis quomodo utilis est? Vtilis utilitate non necessaria, uel ea quæ est necessitati coniuncta?

Secunda, dato quòd logica nedum utilis, sed etiam necessaria sit, cùm quinque esse artes logicas pluries scribat Auerroes, nùm omnes eodem modo scientijs acquirendis necessariæ sint?

In præf. post. & Epit. logi.

Tertia, quænam summa logices utilitas existit? quibus cùm à nobis satisfactum erit, præsenti inquisitioni, D. Op. Maxi. benignitate, finem imponemus.

AD PRIMAM.

AD Primam tota ferè latinorum turba respondet, cùm logica dicatur esse duplex, naturalis & artificialis (in terminorum autẽ declaratione, cùm aliàs à nobis sint elucidati, iam immorari nõ est opus) dicunt, naturalem logicam ad artes & scientias acquirendas simpliciter necessariam esse, Artificialem uerò non necessariam, sed utilem tantùm: primum est manifestum, nam si naturalem illam potentiam (qua naturaliter homo discurrit, seu alterum ab altero secernit) scientias acquirere uolentes nõ haberent, nec uerũ à falsõ distinguere possent.

In libello de defi. log. et de inuentore.

Secundum probant, Primò, nam ante Aristotelem (qui se logicæ totius inuentorem iactat) multi fuere optimè philosophantes, ut Hippocrates, atq; Euclides, & tamen artificiosam logicam, quia nondum erat inuenta, nõ habuerunt: Secundò, Iuris prudentes legalem scientiam habent, & nihilominus artificialis logices, eos uidemus prorsus ignaros: Tertiò, multi (ut etiam de Salomone dicitur) per insomnium absq; hoc, q̃ artificialem logicam habeant, scientias speculatiuas adepti sunt; quod profectò non accidisset, si logicalis cognitio ad eas comparandas, sim

Suessa. In præfact. Prio, Iasuellus in pri. tract. suæ logi. cap. 4. Iãdonus. 2. Met. q. 2.

Vtrum per insomnium Salomonem habuisse scientias speculatiuas, & quas sa

pliciter necessaria foret: Quartò,[a] magnæ authoritatis uir Philoponus cũ stoicis altercans, uolens probare logicen philosophiæ partem non esse, eò deuenit, ut dicat, quòd philosophia speculatiua, & practica secundum naturam sine logica existit, ideòq; logica ipsa philosophiæ pars non est iudicanda. Quod si uerum, non igitur à logica philosophia necessariò dependet, cùm sine ea existat.

His tamen non obstantibus, uerius opinari arbitror, qui artificiosam etiam logicam artibus & scientijs acquirendis, nedũ utilem, sed etiam necessariam putant: Quod quidem probare uolentes, rationes quasdam adducunt, quæ cùm ab aduersarijs facilè aufugi possint, à nobis derelinquuntur: Pro hac autem opinione arguimus sic.

Nulla facultas per logicos canones assignata scientificè acquiri potest, ni prius logica habeatur, Omnis facultas rationalis est per logicos canones assignata, nulla igitur rationalis facultas scientificè acquiri potest, ni prius logica habeatur: minor inductione facta in omni rationalium facultatum genere, est manifesta: maiorem probo per [b] Ammonium uolentem moralem facultatem, cùm per logicos canones sit assignata, absq; logica nõ scientificè, sed solùm opinatiuè acquiri posse: Ut [c] Simplicium omittam, aduersus præceptorem in hoc contendentem, quòd nec etiam opinatiuè hoc fieri potest, ni prius logica ipsa habeatur: Ad quod etiam Alexandri authoritas facere uidetur, dum uniuersalis negatiuæ conuersionem syllogisticè probari, importunum arbitratur, cùm nondum quomodo syllogismus conficiatur, declaratum sit.

cra pagina di cat. uide tracta. Barbol. Spinæ de comparat. Alex. & Salo.

a In præfat. Prio.

Albert in primo tract. prædic. cap. 3 authores copulatorum Burle. & Io de Lapide & Ioa. de magistris in princ log. Iulius Feltrus in de sensu cõpo. & diuisõ. Barth. Mazolus, in uirga reali. in cap. 3 prænotionum et Alex Ach. in quodl. 4. dub. 3.

b In præf. prædic.

c In ead præf.

pri Prio. suo com. 14.

Secundò, illud sine quo, nunquid scientia quae queritur, acquisita sit uel non, nescitur, est necessarium ad scientiam acquirendam: artificiosa logica facultas est illa, sine qua, nunquid scientia quae quaeritur, acquisita sit uel non, nescitur, haec igitur ad scientiam acquirendam, necessaria erit: maior probatur, sicut n. ad locum aliquem iturus, si id, per quod locus ille cognoscitur, non habet, aut anteq̄, ad locum illum accedat, putans se ad illum peruenisse, sistet, aut etsi ad illum uenerit, putans se nondum illum attigisse, ut ad illum ueniat frustra laborat (casu.n. quodam cùm illum non cognoscat, in eo sistet) sic etiam profectò, si scientiam quaerens, id, per quod nunquid scientia illa acquisita sit, uel non, cognoscitur, non habet, aut dum eam non habet quiescet, putans se illam habere, aut eam habens, ac si eam non haberet, adhuc i eius acq̄sitione laborabit, caret.n. eo per quod, an habeat, uel non, cognoscere potest, casus.n. quidā erit (cùm illam non agnoscat) ut in eius acquisitione sistat: Minorem etiā manifesto, nam cùm duo sint instrumenta sciendi, demonstratio .s.& definitio, nulli dubium, quòd si quis sciet, per demonstrationem uel definitionem sciet: Tunc autem quaero, demonstrans, uel definiens, aut cognoscit se demonstrare, uel definire, aut nō? si non, nec quidem percipiet se scire, cùm.n. scire sit per demonstrationem, uel per definitionem, ipse autem demonstrans, uel definiens, non cognoscet se demonstrare, uel definire, nulli dubium, quòd nec etiam utrùm sciat cognoscet. Ad hoc igitur quòd quis se scire cognoscat, necesse est ut uel se demonstrare, uel definire sciat: se autem demonstrare uel definire, quis cognoscere potest, si regulas per quas fit demonstratio, uel definitio non

Vide initium libri de inuentore logices.

optimè callet? Regulas autem has, non naturalis (ut clarum) sed artificiosa logica docet, per eam siquidem syllogizans, uel definiens, nec etiam se syllogizare, uel definire scit: habet enim se uelut ignis (ut Magnus inquit Albertus) qui dum comburit, se comburere nescit: Artificiosa igitur logica est, sine qua, quæsita scientia, an acquisita sit, uel non, sciri non potest: quod erat probandum.

In primo tra. Prædic. cap. 3

Demum logicalem facultatem scientijs acquirundis nedum utilem, sed necessariam etiam esse, expressa est Auerrois sententia, dum inquit, Et cùm res ita se habuerit, ista pars logicæ est necessaria perfectè artibus perfectis, secundùm sunt artes hoc nostro tempore: Necessarium autem pro utile acceptum hic dicere nequimus: cùm. n. præcedentia uerba de ea logices parte quæ demonstrationem amplectitur exarasset, de normis quibus Topici atq; Rhetorici syllogismi fiunt, loqués, subdit, Attamen „ normæ, quibus utuntur syllogismi Topici & Rhetorici, nõ sunt „ necessariæ ad addiscendas artes perfectè: si itaquè necessariũ „ hic pro utile esset acceptum, eius oppositum, non necessariũ, pro inutili acciperetur, sicq; normas quibus Topici syllogismi fiunt non necessarias, idest, inutiles ad artes addiscendas perfectè appellasset: quod quidem absonum est, et ipsimet Auerroi repugnans, Accedit ad hæc, quòd de eisdem Topicorum syllogismorum regulis loquens, necessarium, non pro utili, sed ut ab eo distinguitur, ueramq; necessitatem significat, hic accipi debere, ipsemet expressit Auer. cùm dixit, Topici syllogismi normas ad „ perscrutationem artium quæ nondum sunt, perfectè necessarias „ esse, ad illas autem quæ perfectè sunt non necessarias, nisi ob „

In Epito. log. in sermo. quo fiunt argum. quæ loca uocantur.

Ibidem.

id quod melius est.

EA Verò quæ in oppositum adducuntur, facilè delentur: Ad primum, eos qui ante Aristotelem, haud segniter sunt philosophati (quod pleriq; omnes ferè facere solebant) naturali tantùm logica imbutos, negamus: Esto.n. quòd artificiosam, per doctrinam non habuerint, per inuentionem tamen eam calluerunt; ut aliàs à nobis est declaratum. Ad secundum, legalis cognitio iurisprudentium, qui artificiosæ logicæ sunt ignari, nō scientia, sed opinatio quædam est appellanda. Ad tertium, illud accidere posse impossibile esse, manibus pedibusq; Auerroes defendit: sed quia hoc firma fide tenemus, dicimus quòd logicalis artificiosa cognitio, necessaria est ad scientias secundùm naturales humani ingenij uires acquirendas; si autem quibusdam accidit, ut per insomnium absq; artificiosa logica scientias speculatiuas acquirant, hoc quidem rarò, & supra humani ingenij uires accidere affirmamus: illi siquidem, quibus hoc euenit, secundùm nominis æquiuocationem homines sunt (ut Auerroes ait) cùm magis Angeli quàm homines sint appellandi. Ad Philoponi authoritatem dicimus, quòd per ea uerba non uult dicere, philosophiam sine logica haberi posse, sed uolens probare logicen philosophiæ partem non esse, arguit sic, Pars dum adest cōficit, dum abest diminuit totum, Logica dum adest non conficit, dum separatur non diminuit philosophiam, ergo ex hac ratione Philoponus maiorem ponit, minorem (quam Ammonius expressit) subintelligit. Sed quia stoici hanc minorem subintellectam negare possent, ob hoc eius declarationem subdit, dicens, uisnè uidere logicen philosophiæ additam eam non complere, nec separatam eam

In libello de inuent. log.

In calce libri de somno & uigilia in dig. ex intenio.

Ibidem.

In Q. ex intenio.

tam eam diminuere, nam philosophia siue sit practica, siue contemplatiua, naturaliter est sine logica, idest, quia philosophia secundùm propriam naturam & essentiam est sine logica, licet sine eà acquiri non possit: Sicuti uolentes probare cibum & potum non esse partem animalis, argueremus sic, cibus & potus si animali addantur, illud non complent, si auferantur, illud non diminuunt, illius igitur pars non sunt: Quòd uerò hæc addita non compleant, & dempta non diminuant, inde patet, quia animal secundùm propriam essentiam est sine cibo et potu, licet sine eis uiuere non possit. Hanc autem Philoponi rationé (etsi contra logices necessitaté nihil dicat) aduersus Stoicos, tamen imbecillem esse, sicut & alias omneis ab ipso Ammonio, atq; Alexandro in hoc negotio factas, aliàs declarauimus.

In tracta. de proportione logices.

AD SECVNDAM.

AD Secundam, cùm quæritur, nunquid omnes logicæ partes scientijs acquirundis eodé modo necessariæ sunt? iuxtà Auerrois doctrinam negatiuè respódendum arbitramur: Demonstratiuam siquidem partem artibus etiam perfectis necessariam putat Auerroes, dicens, Et cùm res ita se habuerit, ista pars logicæ est necessaria perfectè artibus perfectis, secundùm sunt artes hoc nostro tempore, & propter hanc eandem rem non faciemus mentionem de his sermonibus, nisi de illis quorum consuetudo est, ut ueniant in usum demonstrationis. Normarum uerò quibus fiunt syllogismi Topici (ut idem Auerroes ait) quorum obliquitas in libro Elenchorum declaratur, certè opus est, apud perscrutationem artium, quæ nondum sunt perfectè, sed ad illas, quæ perfectæ sunt iã, nõ est opus, nisi ex parte

In Epit. logi. in serm. quo fiunt argum. quæ loca uocantur.

Pri. elencho. cap.8.

In princ. Epit. logi.

illius, quod melius est, licet petitio melioris in artibus hoc nostro tempore sit quodammodo impossibilis, ut ab eodem aliàs scriptũ

In eodem sermone.

inuenimus. Rhetoricam autem facultatem etsi ad scientias speculatiuas acquirendas non necessariam affirmet, Rhetoricæ tamen doctrinæ modum, in his quæ non nisi per comparationem ad sensibilia percipiuntur, necessarium esse pluries confessus

Tertio de anima.6.14.

est: Poeticen uerò, licet summæ necessitatis iuuamẽ obtineat, ad

In sermone superius citato.

uulgus promouendum (ut in calce logicalis Epitomæ affirmat) non tamen ob hoc ad speculatiuam facultatem addiscendam necessariam esse concedit.

Circa autem dicta, Domini, in Auerrois dictis quædam expressa contradictio esse uidetur, quam ut uestra ingenia excitem, uobis dissoluendam propono: est autem hæc, Cõclusum est ex Auerrois uerbis, logicen artibus acquirendis nõ solùm utilẽ, sed necessariam esse: huius autem oppositum ĩ logicæ Epitomæ principio, expressisse uidetur: cùm eteni dixisset, suam intentionem esse in eo libello colligere sermones necessarios in arte logicæ, ad cognitionem regularum, partium, formationis, & uerificationis, subdit, uerumtamen sermo de rebus, ex quibus componuntur & fiunt sermones isti, aut erit inutilis ad disciplinam artium, quæ iam perfectæ sunt, aut erit utilis secundùm modum melioris, non modo necessario. Quibus in uerbis, cùm sermones necessarios in arte logica, artibus non necessarios dicere uideatur, multò magis & eos qui non necessarij sunt in logica, ad artes acquirendas non necessarios censet appellandos. Nec dicere possumus huiusmodi sermones his in uerbis, non necessarios dicere ad artes perfectas acquirendas, eosdem autem inferius ne-

cessarios ad artes imperfectas arbitratum: siquidem(ut uisum) ad artes perfectas addiscendas perfectè, necessariam quandam logices partem ibi confessus est.

AD TERTIAM.

AD Tertium, cùm quæritur, quæ logicæ est summa utilitas? Respondemus, quòd logicæ utilitas summa dicitur esse duplex, intrinseca & extrinseca; Extrinseca quidem, quā extra eius limina comparamus, est ultima hominis fœlicitas atq; perfectio, Definitionem siquidem, atq; demonstrationem inter cætera docet, quibus acquiritur uerax speculatio, quæ aut ipsa est hominis ultima perfectio (ut Aristoteles in Ethicis dicere uidetur) aut saltem ad ipsam hominem conducit (ut Auerroes ait) Hanc autem extrinsecam logices utilitatem ab Auerroe positam inuenimus, cùm dixit, canones traditi hoc in libro sunt, ex quibus intenditur prouentus ueræ scientiæ, qua substantificamur, & peruenimus ad ultimā perfectionē, & hæc scientia ē scietia qua homo fit similis excelso et benedicto Deo, secundum quantitatem, qua eius natura patitur quòd illi similes fieri possimus: Intrinseca uerò, quam inter eius limina possidemus, ea est ad ultimam fœlicitatem promptitudo, quæ ex illis instrumentis in logica edoctis resultat, quæ ad speculatiuam scientiam acquirendam sunt necessaria. Quam etiam logices utilitatem idem Auerroes patefecit, cūm hæc uerba deuenit, In hac autem arte est honor & præstantia modo, quo homo fit per ipsam promptus, uersus ultimam perfectionem, si sua perfectio sit in adeptione ueracis speculationis, & per hanc quantitatem perueniet quod sit aptus illam recipere, hac ergo quantitate perueniet ei gra

Lib.10.cap.8.

Tertio de anima 36. in Q. 10.

In fine Epit. logicæ.

dus quo sit felix ad ultimam perfectionem.

LAVS DEO.

Castigationes in libello de definitione Logices.

Semipagina.1 agreditur, lege, aggreditur. Greca, Græca. in margine, cap.4. cap.2.2. Grecos, Græcos. Grecum, Græcum. Greci, Græci. Porphirius, Porphyrius.3. æthimon, Etymon. 4. Porphiriũ, Porphyrium. aquisitæ, acquisitæ.5. Demostrationũ, Demonstrationum, quod sæpius in consimilibus uocibus admissum reperitur.6. metaphi, Metaphy. in hærente, inhærente.7. in margine.4. lege.8.8. phisicorum, physicorum.10. equiuocum, æquiuocum. demostrationis aquisitum, demonstrationis, acquisitum. authoritates, authoritatis. Augustinum alios, Augustinum (ut dicunt) alios.13. confirmo per, confirmo antecedens per. metaphi. metaphys.14 poteste, potest. autoritas, authoritas. logico, logicæ. phisico, physico. aducere, adducere. autoritbatem glosat, authoritatem glossat. glosa, glossa.15. comunissimis, communissimis.1?. Metaphisicus, Metaphysicus.17. logico, logicæ.20. metaphis. metaphys.23. phisicorum, physicorum. metaphisices, metaphysices.30. delinea particulam (eris) 42, aductæ, adductæ.43. glosari, glossari.47. cunq; cumq;. 46. iddem per iddem, idem per idem, 49. iddem, idem. 50. adnotatiunculas, annotatiunculas. causcm, caussam. & hoc sæpè.

In Libello de Inuentore Logices.

In Inſcriptione, utillimus, lege utiliſſimus. ſemipagina prima. logico, logicæ 3. ſaltim, ſaltem. Amonius, Ammonius. 4 prædicatur, prædicati. 5. Auerroes logices, Auerroes Ariſtotelem logices. prædicatur, prædicat. 8. Rationandi, Ratiocinandi. 10. iddem, idē. 12. Tyūrculis, Tyrunculis. 13. Viguitio, Vguitio. iddem, idem. ſcolas, ſcholas. 14. ut ſecundi, ut tertij. ut tertij, ut ſecundi. 15. quomodo, quinimò. ommictamus, omictamus. 17. logico, logicæ. 18. libram, librum. perſeuerandas, perſcrutandas. 19. Methodum, Malchum. 20. Ariſtele, Ariſtotele.

In Libello Vtrùm ſingulare.

Semipagina. 7. deſtrius, deſtruis. 9. in margine. 2, 3. 15. ille ſum, illæ ſum. ægrotans continuauit, ægrotans qui continuauit. apoſtillam (alia tranſlatio legit affirmatiuè) dele. 20. ſaltim, ſaltem 23. mentiouem, mētionem. 24. obicierat, obijciunt. ſæpi mentum, ſepimentum. nec con, nec in con. 25. apparentis, apparentiæ. 29. obijciendis, abijciendis. intellecto, intellectū. &, etiam. 30. humini, homini. 31. dele particulam, de. Maiorem, maior eſt. 33. differentes, inferentes. 36 autoritati, authoritate. 37. affirmatiuæ, affirmatiuè. 42. Syneſius, Syrianus. 49. diſci, dignoſci. 51. nequit, negauit, 52. apoſtillam (ſed eſt expoſitio. 14.) dele.

Semipagina 5.logico,logicæ. saltim, saltem.Metaphisices,Metaphysices.6.logico,logicæ.24 antecedentis,consequentis. 29. ter ex causa,ter siuè cuiuscũq; spẽi,ex caussa.31 sexto, secundo.42.negatione,negationem 49.moioris,maioris.53 an differentias,an in differentias 71.eliciare,eliciatur.tuo,mo.74.asserente,asserenti.lapsus,lapsi.

IN DECADE.

Semipagina.1.Demon, Dæmon.2.Amonius, Ammonius.3 reiici,reijci.Alexonder,Alexander.6.iddem,idem. 7. phenicem, phœnicem 9 habene,habere.14.eduit, aduit.17. asserentes, asserentem.20 facia,faciat. sallim, saltem.22.inquit,inquiunt, 23 scientiæ, substantiæ.24 porphyrium, porphyrio 25. Alia, Alij.quatrupes,quadrupes.26.assignabunt,assignabant. deuenieb unt,deueniebant prædicata,prædictam.et,ex.27. cessisset,cessit.29.arbitra,arbitran.30 iũcto. intento. 31.am,iam.

In Libro de Secretis.

In litera.D.Ille,illo.in M.beatitudinum,Musarum.

In Tractatulo Contradicendum

Semipagina.3.ascribat,adscribat.4.idem,idest.7.cum immortali,cum immortalitate.12.ratiocinationes, ad ratiocinationes.13.Diuisionem,Discrimen,15.in Porphyrio, à Porphyrio. ascripta,adscripta.animi,hæc particula delenda est.17.nephas nefas.eademq;,eandemq;.in margine.3.cap.primo.3.commento primo.18.substinuit,sustinuit.19.In libris quæ,in libris quos. 20.fœmina at,femine ac.nephandiora,nefandiora.& hoc in consimili uerbo pluries admissum.21.at impietatis, ac impietatis.ab Aristotele,ab Aristocle.stygis atq;,stygis aquæ.eumolus autem siue historius,Eumolus autem siue Hermippus historicus.in margine Phyloponus,Philoponus.Hermippus, apostillam hanc dele.22.ut nephanda,ut sua nefanda.Aristotelis, 49.46,Thomæ aquinatis.13.32.36.Thomæ aqnatis.13.32.36.

In Libello de Vtilitate Logices.

Semipagina.1.Annibali,Annibali de Capua.stogmatibus stemmatibus.2.sidera,sydera.3.si quòd,si quod.5.ad species, ad speciei.7.quod,quòd.13.quòd,quod.quòd,quod.exposito,ex posito.14.quòd,quod.substinet,sustinet.ꝙ,quod.ꝙ, quod.15. sert,fert.iudicio,iudicium.16.ouis,oui.17.ac,a.31,Ad remuolebant,Ad rē uolebāt.41.Athenis,Atheos.48.ergo ex,ergo ex.

Ioannes Andreas Ritius ad Franciscum Storellam Philosophum.

Non logicen telis, quas nectit aranea tigno,
Nec cœno similem, quod manet in triuijs,
Quorundam mens stulta hominum confessa fuisset,
Si Storella tuæ scripta aderant logices:
In quibus affirmas nullam consistere posse
Rite, sine hac, artem; dogmata nulla uirûm.
Vnde tuis scriptis, multi Francisce sequentur
Impulsi logicen, qua nihil utilius:
Artibus hæc cuntis nam prodest digna parandis,
Vt tu multiplici nunc ratione doces.

Idem ad Lectorem Misologicum.

Qui uanam censes Logicen, lege quæso libellum;
Quem Storella acri condidit ingenio.
Hac arte utilius nihil ipse fateberis esse:
Illicò: scire nihil tu sine & hac poteris.